PA 6448
.S7
Copy 1

PA 6448
.S7
Copy 1

DE

PERSONIS IVVENALIANIS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AVCTORITATE ATQVE CONSENSV

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRANCISCVS STRAVCH,

SILESIVS AVSTRIACVS.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMIA HVTHIANA.

MDCCCLXIX.

PA6448
S7

AVGVSTO PREV

AQVILAE RVBRAE EQVITI

PATRVO CARISSIMO

PIO GRATOQVE ANIMO.

Satirarum Iuvenalianarum qualis sit indoles si recte vis intellegere, primi carminis exitum accuratius expendas necesse est. Lucilii libertas quam periculosa foret sua aetate postquam poeta versibus 150 sqq. monstravit, paullo post v. 170 sibi quid proposuerit his circumscribit angustis finibus 'experiar quid concedatur in illos, quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.' Simpliciter igitur atque aperte promittit poeta vivos a se non iri vexatum. Quod quidem propositum num ubique tenuerit an aberraverit interdum a consilio, hanc quaestionem diligentius discutere haud inutile fore mihi visum est. — Atque cum ex eiusdem satirae I versibus 80 sqq. tempora etiam antiquissima Iuvenalem describere velle discamus, ita instituere quaestionem in animo est, ut in priore dissertationis particula ab antiquissimis temporibus usque ad imperatores festinanter progrediar, in altera Caesarum tempora attentiore animo perlustrem. Illa in parte ex litterarum ordine enumeraturus primum nomina e Graecorum aliarumve gentium historia petita, deinde exempla Romanorum non adscribam testimonia nisi quae locis Iuvenalianis aliquid lucis adferant; in hac parte agere mihi proposui primum de eis hominibus, quos ante Neronem vixisse constat et poeta ipse non viderat — nam etsi imperante Claudio Iuvenalem natum esse putaveris [1]), tamen eundem concedas necesse est cum carmina componeret [2]) eorum qui ipsius infantiae vel pueritiae aequales fuerant vix tenuisse memoriam — deinde de eis quo-

---

[1]) inter viros doctos alii imperante Claudio, alii circa Neronis initia Iuvenalem lucem aspexisse statuunt. — [2]) consentiunt autem omnes fere inter se vitae, Iuvenalem usque ad mediam aetatem declamasse. cf. O. Iahnii editionem (Berolini 1851) p. 386 sqq.

rum nomina ex suae vitae et aetatis memoria desumpsit. Coepisse Iuvenalem scribere carmina iudico haud multo post mortem Domitiani [1]) cum Iuliam (cf. II, 32) iam anno 90 e vita discessisse satis certum sit [2]) atque hoc equidem moneo, ne quis primam satiram quae non prodiit ante annum 100 [3]) etiam tempore primam fuisse opinetur [4]). Sed haec leviora cum minus quando poeta composuerit satiras quam quando publicaverit nostra intersit. Publicatum autem ante satiram primam, quam anno 100 adsignavimus, ullum carmen esse vix habet speciem probabilitatis, quod quibus caussis satiris scribendis operam dare destinaverit poeta in ea ipsa explanat. Post annum 100 quae edidit carmina, num in eis usquam vivorum mentiones reperiantur suo loco satis adparebit.

Et quoniam huius libelli rationem exposui, praeterea de satiris Iuvenalianis vix est quod praemittam. Nam Ribbeckium in libro illo, cui inscribitur 'der echte und unechte Iuvenal' nimis suo arbitrio ac lubidine disputasse inter doctos ac sobrios iudices iam constat. Contra Ribbeckium similesque

---

[1]) Paene confecta erat haec disputatio cum Synnerbergi libellum 'de temporibus vitae carminumque D. Iunii Iuvenalis rite constituendis' qui Helsingforsiae a. 1866 publici iuris factus est, V. Ill. Preuneri benignitate accepi. Synnerbergius quoque (p. 60) carminis II versus 29 sqq. post Domitiani mortem scriptos vel ut rectius dicam insertos esse persuasum habet. Demonstrare enim vir ille conatur, Iuvenalem poemata alio tempore scripsisse, alio emisisse; statuit igitur (p. 77) tres priores libros editos esse intra annos 100 et 104. De hac re quae argumenta protulit ea quominus accuratius hic excutiam temporis breve iam spatium obstat, liceat autem mihi in universum hoc dicere, non semper cum sibi constitisse et nonnulla interdum temporum indicia, ut sat. VIII versus 143 sqq. neglexisse. In reliquis excepto uno loco quo de Isaeo sophista Assyrio agitur, nihil inest quod mei libelli rationes impugnare videatur, ad illum autem locum infra revertemur. — [2]) cf. Friedlaenderi dissertationem 'de temporibus librorum Martialis Domitiano imperante editorum et silvarum Statii' in progr. Regimont. a. h. s. LXII. — [3]) hoc enim anno Marius Priscus (cf. v. 49 sqq.) lege repetundarum damnatus est. cf. Mommsenum in Herma III, 1 (a. h. s. LXVIII) p. 38 sqq. — [4]) ut Teuffelius (Iuvenals Satiren uebersetzt von Hertzberg und Teuffel. Stuttgart 1865) p. 155 et Ribbeckius 'D. Iunii Iuvenalis saturae'. Lips 1859 praef. p. 9 sqq.

eius [1]) qui conscripsere dissertationes [2]) ii neque arte metrica neque rerum argumentis posteriores VI satiras a X reliquis ita differre, ut a Iuvenale eas abiudicari oporteret, operose ostenderunt; contra vix posse negari, vehementiam irae ac vim quae antea poetam stimulasset tum paene elanguisse ac luxuriosae cessisse loquacis senis declamationi.

---

[1]) quorum nomina leges in B. Lupi vindiciis Iuv. Bonnae 1864 publicatis. — [2]) Lupus l. l. Meinertzius 'vindiciae Iuven.' Regim. 1866.

I.

Ab antiquissimis temporibus usque ad imperatores.

a. Nomina ex antiquiore gentium exterarum historia petita.

Alexander X, 168 sqq. XIV, 304 sqq. Macedonum rex. cf. Senec. ep. 94 (p. 513 Fick.) ibid. 119 (p. 689 F.).
Aristoteles II, 6 philosophus.
Boccar V, 90 rex Mauritaniae.
Chrysippus II, 5. XIII, 184 Stoicus. cf. Cic. de fato XVII, 39. id. Tusc. IV, 5, 9.
Cleanthes II, 7 Stoicus.
Cleopatra II, 109 Aegyptiorum regina, Antonii amica.
Croesus X, 274. XIV, 328 rex Lydiae.
Democritus X, 28 Abderita. cf. Senec. de tranq. animi 15.
Demosthenes X, 114 orator. cf. Plut. Dem. 28 sqq.
Diogenes XIV, 309 Cynicus Sinopeus. cf. Plut. Alex. 14.
Epicurus XIII, 122. XIV, 319 philosophus. cf. Senec. ep. XXI, 10.
Euphranor III, 217 pictor. cf. Plin. n. h. XXXV. §. 128.
Glaucus XIII, 199 homo fraudulentus. cf. Herod. VI, 86.
Hannibal VI, 170. 291. VII, 161. X, 147 [1]). XII, 106 Poenus.
Heraclitus X, 30 Ephesius.
Homerus VI, 437. VII, 38. X, 246 [2]). XI, 180. XV, 69 [3]).
Ladas XIII, 97 cursor. cf. Pausan. III, 21, 1.
Mentor VIII, 104 Mentorea pocula. cf. Mart. XI, 11, 5.

---

[1]) cf. Quintil. III, 8, 16 sqq. — [2]) cf. Iliad. I, 250 sqq. — [3]) cf. ibid. V, 303 sqq.

Micipsae V, 89. Quoslibet intellegas Numidas.
Mithridates VI, 661. X, 272. XIV, 252 rex Ponti.
Moyses XIV, 102 Iudaeus.
Myron VIII, 102 sculptor.
Parrasius VIII, 102 Zeuxidis aemulus.
Petosiris VI, 581 astrologus Aegyptius. cf. Plin. n. h. II, 88. VII, 160.
Phidias VIII, 103 sculptor.
Philippus XII, 47 pater Alexandri.
Pittacus II, 6 Mytilenaeus.
Polyclitus III, 217 sculptor.
Prusias X, 161 rex Bithyniae.
Pyrrus XII, 108. XIV, 162 Epirotarum dux.
Pythagoras (III, 229) XV, 173 philosophus.
Sardanapallus X, 362 Assyriorum rex. cf. Mart. XI, 11, 6.
Semiramis II, 108 Assyriae regina.
Socrates XIII, 184. XIV, 320 Atheniensis.
Solon X, 274 legum lator.
Sophocles VI, 636 tragoediarum scriptor.
Syphax VI, 170 Hannibalis socius. cf. Liv. XXX, 30.
Thales XIII, 184 Milesius.
Xerxes X, 179 rex Persarum.
Zeno XV, 107 Stoicae sectae auctor.

b. Exempla Romanorum.

Aemiliani VIII, 3 statuae Scipionis Africani minoris Numantini. cf. v. 11.
Ancus V, 57 rex. cf. Hor. carm. IV, 7, 15.
Antonius VIII, 105 triumviri patruus vel pater, quorum ille multos in Achaia, hic Siculos diripuerat. cf. Orelli Onom. Tull. II. p. 48 sqq.
Bruti IV, 103. VIII, 182. 262 L. Iunius, qui Tarquinios expulit. XIV, 43 M. Iunius Caesaris percussor. cf. Plut. Caes. 62. — V, 37 L. Iunius et M. Iunius aut Marcus, Gaius et Decius. cf. Cic. ad fam. XII, 1, 1.
Caesar VI, 338. X, 108 triumvir.

Camillus II, 154. XVI, 15 dictator anno urbis 365.

Catilina II, 27. VIII, 231. X, 278. XIV, 41 Ciceronis adversarius.

Catones II, 40.-XI, 90 censorius. XIV, 43 Uticensis.

Catuli II, 146 C. Lutatius, ut videtur, primi Punici belli confector. VIII, 253 Q. Lutatius Marii collega. cf. Plut. Mar. 27.

Cethegus II, 27. VIII, 231. X, 287 socius Catilinae.

Cicero VII, 139. 214. VIII, 235 sqq. X, 114 sqq.

Clodius II, 27. VI, 345 Ciceronis inimicus.

Cloelia VIII, 265 virgo, quae Tiberim tranasse dicitur.

Cocles VIII, 264 Cloeliae aequalis.

Cornelia VI, 167 mater Gracchorum.

Corvinus VIII, 5 sqq. cuiuslibet proavi statua.

Crassi X, 108 triumvir eiusque filii. cf. Ovid. fast. VI, 465 sqq.

Curii II, 3. VIII, 4. — II, 153. XI, 78 M'Curius Dentatus.

Cynthia VI, 7 Properti amica una cum Lesbia nominatur, quamobrem in hac parte eam collocare praeoptavi.

Decii VIII, 254. XIV, 239. cf. Cic. Tusc. I, 37, 89.

Dolabellae VIII, 105 provinciarum direptores. cf. Suet. Caes. 4. Cic. in Verrem I, 4. id. Philipp. XI, 2.

Domitius VIII, 228 Neronis proavus. cf. Suet. Ner. 1.

Fabii II, 146. 155. XI, 90. — VI, 265 Fabius Gurges qui de Samnitibus a. u. 478 triumphavit. cf. Liv. ep. XI.

Fabricii XI, 91. — II, 154. IX, 142 Fabricius Luscinus, qui contra Pyrrum pugnavit. ad IX, 142 cf. Val. Max. II, 9, 4.

Gracchi II, 24. VI, 167.

Lentuli VII, 95. Ordo, quo nomina h. l. ponuntur, non obstat, quin de Lentulo Spinthere Ciceronis patrono [1]) cogitemus. cf. sat. XIII, 184 sqq. — X, 287 coniurationis Catilinariae socius. cf. Sall. Cat. 55.

Lepidi VIII, 9 maiorum statuae. VI, 265 M. Fulvii Nobilioris collega [2]). cf. Liv. XXXIX, 2.

---

[1]) Cic. post redit. in senat. IV, 8. — [2]) non adsentior Teuffelio p. 218 cui triumvir intellegendus esse videtur. Confertur enim Lepidus cum Metello et Fabio Gurgite, qui triumviro et aetate multo superiores et bellica laude nobiliores fuere.

Lesbia VI, 7 Catulli amica.
Livius XI, 92 censor a. urbis 548. cf. Liv. XXIX, 37.
Lucilius I, 20. 165 satirae parens.
Lucretia X, 293 Tarquinii Collatini uxor.
Marius VII, 245. XIV, 276 sqq. Sullae adversarius.
Metellus III, 139. VI, 265 Palladii servator. XV, 109 Pompei Magni collega. Liv. ep. XCII.
Milo II, 26 P. Clodii interfector.
Mucius VIII, 264 M. Scaevola qui in Porsenae castra penetrare ausus est. I, 154 persona Luciliana, erat autem P. Mucius Scaevola a. urbis 621 consul. [1]).
Numa III, 16. VI, 343. VIII, 156 rex.
Numantini VIII, 11 vide *Aemiliani*.
Otho III, 159. XIV, 324 legis theatralis auctor.
Paulus II, 146. Ex ipsa nominum collatione sequi videtur, ut L. Aemilium Paulum Macedonicum intellegamus. Eiusdem haud dubie mentio fit sat. VIII, 21 ubi praeclara priscae virtutis proponuntur exempla. cf. Plut. Aem. 2.
Pompei X, 108 triumvir ac filii. cf. Senec. ep. 94 (p. 514 F.). ib. 283 sqq. triumvir miser senex. cf. Cic. Tusc. I, 35, 86.
Quirinus II, 133. III, 67. VIII, 259. — XI, 105 Romulus et Remus 'gemini Quirini' nominantur.
Remus X, 73. Nomen Remi contemptim ponitur [2]).
Scauri II, 35. VI, 604. XI, 90.
Scipiadae II, 154 pluralis numerus saepius invenitur etiam apud Vergilium Aen. VI, 844. georg. II, 170. — III, 137 Scipio Nasica numinis Idaei hospes. cf. Liv. XXIX, 14.
Sulla I, 16. II, 28 dictator.
Tanaquil VI, 566 Tarquinii Prisci uxor caelestium prodigiorum perita. Liv. I, 34.
Tatius XIV, 160 Sabinorum rex.
Tuccia VI, 64 virgo Vestalis a. urbis 619, pudicitiae exemplum. cf. Plin. n. h. XXVIII. §. 12.
Tullius VII, 199. VIII, 260 rex.

---

[1]) cf. O. Iahnium ad Pers. I, 114. — [2]) cf. Iahnium ad Pers. I, 73.

Tullus V, 57 rex. cf. Hor. carm. IV, 7, 15.
Ventidius VIII, 199 fortunae alumnus. cf. Gell. N. A. XV, 4. Plin. n. h. VII. §. 135.
Verginia X, 294 formosa Verginii filia.
Verres II, 26. III, 53. VIII, 106 Siciliae vexator.
Volesi VIII, 182 stirps Volesi Valerii [1]) qui auctor fuit gentis Valeriae.

II.

Caesarum tempora.

Caput I. ab Augusto usque ad Neronem.

§. 1. Aula imperatoria.

Octavius VIII, 242. Caesaris Octaviani bellica laus comparatur cum Ciceronis in rem publicam meritis. Anno post Christum 14 Nolae animam efflavit. cf. Tac. ann. I, 9. Suet. Octav. 100.

Gabba [2]) V, 3. Scholiasta nihil aliud docet quam quod versibus efficitur, Gabbam Caesaris parasitum fuisse. Is autem intellegendus est Caesar Octavianus. Plut. amator. 16, 22 sqq. *πολλὰ ἀφροδισίων ἑτέροις ἐκοινώνησαν οὐ μόνον ἑταίρας ἀλλὰ καὶ γαμετὰς προαγωγεύοντες ὥσπερ καὶ ὁ Ῥωμαῖος ἐκεῖνος ἅ ἑταῖρε Κάββας εἱστία Μαικήναν..... ἣν ὁ Κάββας γελωτοποιός* eqs. Facetiae eius saepius laudantur a Quintiliano [3]) et Martiale [4]), de vitae obitu nil traditum est.

---

[1]) de nominis forma cf. C. I. L. I elogium XV. — [2]) de altera scriptura *Galba* cf. Heinrichium in editionis suae (Bonnae 1839) comment. p. 197 sqq. — [3]) inst. VI, 3, 27. ibid. 62. 64. — [4]) epigr. I, 41, 14. X, 101.

Sarmentus V, 3. Scholiastae memorabilem debemus notam, qua certiores fimus, Sarmentum natione Tuscum e domo Marci Favonii ad Maecenatem transiisse [1]), postea manumissum pro equite Romano se gessisse, postremo autem consumptis luxuria opibus ad tantam redactum esse inopiam ut quas reliquas haberet res auctione vendere cogeretur. In aula imperatoria versatum esse Sarmentum testis est Plutarchus Anton. 59: *ὁ δὲ Σάρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ἃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσιν* eqs.

Licinus [2]) I, 109. XIV, 305. Probi nomine quae fertur adnotatio e puro fonte fluxisse videtur, quod Cassius Dio (LIV, 21) cum ea mirum in modum concinit. Uterque Licinum C. Iulii Caesaris servum fuisse narrat, deinde manumissum et ab Augusto Galliae Lugudunensi praepositum rapacissimam egisse procurationem. Novum hoc Probus adicit, sub Tiberio Licinum vita exiisse.

Seianus X, 63 sqq. Scholiasta haec adnotat 'Seianus fuit Tiberio usque adeo carus amicus, ut nihil esset quod ei a Tiberio petenti negaretur, usque adeo ut iam de eius cogitaverit nece dispositis coniurationis sociis, ut occiso Tiberio ipse regnaret, cum hoc cognovisset Tiberius super eius nomine epistolam ad senatum misit et sic per consules damnatus est cum omni progenie sua' eqs. necatus est a. 31 post Christum, cf. Cass. Dion. LVIII, 11 sqq.

Thrasyllus VI, 576. Scholion dignum est quod describatur 'Thrasillus multarum artium scientiam professus postremo se dedit Platonicae sectae ac deinde mathesi, in qua praecipue viguit apud Tiberium, cum quo sub honore eiusdem artis familiariter vixit, quem postea Tiberius in insula Rodo praecipitare voluit in pelagum quasi conscium promissae dominationis, quem dolum cum praesentit fugit' [3]). Mortuus est anno 37. cf. Cass. Dion. LVIII, 27.

---

[1]) post proelium Philippense, cf. Cass. Dion. XLVII, 49. — [2]) prave scribi Lici*ni*um demonstravit Madvigius opp. acad. II. p. 202 sqq. — [3]) cf. Tac. ann. VI, 20 sqq.

Caligula VI, 615. Iuvenalis testimonium confirmari videmus a Suetonio Cal. 50 'creditur potionatus a Caesonia uxore amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verteret'. Insania qua in multos saevierat caussa fuit ut iam anno 41 a Cornelio Sabino Cassioque Chaerea cohortis praetoriae tribunis necaretur. cf. Cass. Dion. LIX, 29.

Caesonia ibidem. Eodem die quo maritus e medio sublata est. Suet. Cal. 59 'periit una et uxor Caesonia gladio a centurione confossa et filia parieti illisa'.

Claudius III, 238. V, 147. VI, 621. X, 341. XIV, 330. Sat. III. haud inficete Ti. Claudius Drusus (cf. Suet. Claud. 2) ut somniculosi hominis exemplum cum vitulis marinis [1]) confertur. Narrat enim Suetonius Claud. 8 haec 'quoties post cibum addormisceret, quod ei fere accidebat, olearum et palmularum ossibus incessebatur'. Veneno Claudium absumptum esse Iuvenalis sat. V et VI ipse nos docet. cf. Tac. ann. XII, 66 sqq.

Messalina VI, 118. X, 330. XIV, 331. Claudii uxor nequam. Scholiasta lectorem relegans ad II, 33 Messalinam cum Iulia confundit. Vivo Claudio eam supplicio traditam esse ipsa testatur satira XIV. cf. Cass. Dion. LX, 31.

Britannicus VI, 124 Messalinae filius. Recte scholiasta 'Britannicus quem post Messalinae matris necem conscia matre Agrippina Nero in convivio suo necavit'. cf. Tac. ann. XIII, 15 sqq.

Agrippina VI, 620 Claudii uxor, mater Neronis. Nefanda scelera, quae per totam vitam Agrippina commiserat, tandem leto compensavit, anno 59 Baulis filii iussu occisa. cf. Tac. ann. XIV, 3 sqq.

Narcissus XIV, 329. Claudii libertus inter omnes ditissimus. Cass. Dio. LX, 34, 4: *ἡ δὲ δὴ Ἀγριππῖνα ταῦτα ποιήσασα ἔφθασεν, ὅτι τὸν Νάρκισσον ἐς Καμπανίαν.. προαπέπεμψεν, ἐπεὶ παρόντος γε αὐτοῦ οὐκ ἄν ποτε αὐτὸ ἐδεδράκει. τοιοῦτός τις φύλαξ τοῦ δεσπότου ἦν· ἐπαπώλετο δὲ*

---

[1]) cf. Plin. n. h. IX. §. 42.

καὶ αὐτὸς τῷ Κλαυδίῳ μέγιστον τῶν τότε ἀνθρώπων δυνηθείς.

Pallas I, 109 Claudii libertus [1]). Tac. XIV, 65 'eodem anno [62] libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est [Nero] Doryphorum quasi adversatum nuptiis Poppaeae, Pallantem quod immensam pecuniam detineret'.

Posides XIV, 91. Scholiasta, id quod rarissimum est, ipse quem ad partes vocaverit auctorem adicit 'hic Possides spado libertus Claudii imperatoris tantae gratiae et potentiae fuit, ut eum Claudius in Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donaverit, cohortibus quoque et alis provinciaeque Iudaeae praeposuerit, lectica per urbem vectandi spectaculaque edendi ius tribuerit. legitur in Suetonio' [2]). Quando mortuus sit Posides nullo quantum equidem scio constat testimonio, vix autem opus erit addi, Hadriano demum imperante [3]) satiram istam prodiisse in publicum.

§. 2. Viri primarii.

Maecenas I, 6. VII, 94. XII, 39. Obiit Maecenas anno urbis 745. cf. Cass. Dion. LV, 7.

Proculeius VII, 94. Terentiae Maecenatis uxoris frater [4]) benignitate insignis [5]). Mortem eius narrat Plinius n. h. XXXVI. §. 183 'usus gypsi in albariis, sigillis aedificiorum et coronis gratissimus. exemplum illustre C. Proculeium Augusti Caesaris familiaritate subnixum in stomachi dolore gypso poto conscivisse sibi mortem'.

Fabius VII, 95. Fabius Maximus haud dubie Ovidii patronus [6]) ut liberalis hominis exemplum proponitur. In hoc Fabio plurimam spem Ovidius posuisse putandus est, quod

---

[1]) de quo cf. Friedlaenderi descr. morum (Lips. 1862) I. p. 72. — [2]) Claud. 28 quem tamen locum si inspexeris descriptoris negligentiam admiraberis. cf. Schopenum apud Heinrich. p. 428. — [3]) post annum opinor 123 quo Maurorum motus (cf. v. 196) Hadrianus compressisse videtur. cf. Spartian. vit. Hadr. 12, Peterum hist. rom. III, 2. p. 177. — [4]) cf. Cass. Dion. LIV, 3, 5. — [5]) cf. Hor. od. II, 2, 5 sqq. — [6]) epp. ex Ponto I, 2. III, 3.

praematurum amici interitum flebili modo lamentatur [1]). Concessit autem naturae Fabius paucis diebus ante mortem Augusti. cf. Tac. ann. I, 5.

Cotta V, 109. VII, 95. Nil proficimus scholiastae nota. Utriusque loci indoles haud facile dubitationem relinquet, quin unius eiusdemque Cottae, hominis Ovidio familiaris [2]) liberalitatem celebrari existimemus. Ordo quidem, quo nomina priore loco ponuntur, contra hanc sententiam, ut quem in satira VII inter liberales patronos referri satis certum sit altero quoque intellegamus, nihil facere videtur [3]). Neque Aurelius Cotta a Seneca, cui adiungitur, tempore multum distat. Nam anno 32 Cottam etiam inter vivos fuisse Tacitus VI, 5 tradidit.

Apicius IV, 23. XI, 3. Scholiastae nota 'Apicius auctor praecipiendarum caenarum qui scripsit de iuscellis' fidei est dubiae [4]). Idoneus testis Seneca est cons. ad Helv. X, 3 'Apicius nostra aetate vixit, qui .... scientiam popinae professus disciplina sua saeculum infecit. Cuius exitium nosse operae pretium est. Cum sestertium millies in culinam coniecisset, cum tot congiaria principum et ingens Capitolii vectigal singulis comissationibus exsorpsisset aere alieno oppressus rationes suas tunc primum inspexit: superfuturum sibi sestertium centies computavit et velut in ultima fama victurus si in sestertio centies vixisset veneno vitam finivit' eqs.

Bruttedius [5]) Niger X, 83. Hac satira certissimum fit Bruttedium cum Seiano prolapsum in exitium esse. Inducit enim poeta duos cives de Tiberii temporibus inter se colloquentes, quorum alter occiso Seiano perbrevi multos etiam interfectum iri [6]) dicit, alter inter hos Bruttedium fore respondet. Cuius quidem rei quae iam additur caussa ('quam timeo ne poenas exigat Aiax ut male defensus') haud dubie cum

---

[1]) ep. ex Ponto IV, 6, 14 sqq. — [2]) cf. ibid. I, 7, 60. II, 3, 8. III, 2. 5. et alibi. — [3]) vide de Lentulo dicta p. 10. — [4]) cf. Baehrii litt. rom. historiam II³. p. 561. — [5]) sive Bruttidius, cf. Nipperdeium ad Tac. III, 66. — [6]) hoc revera factum esse cognosces e Taciti ann. VI, 19.

irrisione quadam prolata est. Haec enim Aiacis commemoratio quo spectet optime interpretatur Madvigius [1]) sic 'mortem Brutidio impendere significat, poenam frigidae declamatiunculae immissam ab Aiace [2]) inepte defenso'. Quae sententia mihi quidem valde probatur. Nam primum iudicium armorum inter Aiacem et Ulixem saepe materiam declamantibus praebuisse constat [3]), deinde exercuisse Bruttedium ipsum artem rhetoricam ex Senecae rhetoris libris evidenter adparet (cf. Bursiani indicem). Non licet igitur dubitare, quin Bruttedius quam iudicii descriptionem apud Ovidium (Met. VII, 115 sqq.) legimus eandem declamaverit atque pro Aiace dixerit [4]).

Gaetulicus VIII, 26 laudatur ut verae nobilitatis exemplum. Est autem Cn. Cornelius Lentulus qui a Lentulo Cosso patre cognomen Gaetulici traditum habuit [5]) et adulescens in omnium virtutum exempla genitus dicitur [6]). Imperante Tiberio Germaniae legionibus praepositus mirum amorem sibi conciliavit [7]), paullo post vis ei adlata est. Cass. Dio. LIX, 22, 5 *Γαιτούλικον Λέντουλον τά τε ἄλλα εὐδόκιμον ὄντα καὶ τῆς Γερμανίας δέκα ἔτεσιν ἄρξαντα ἀπέκτεινεν* Caligula, *ὅτι τοῖς στρατιώταις ᾠκείωτο.*

Silius X, 330 sqq. Messalinae Claudii uxoris adulter. Exitium ei Narcissus anno 48 paravit, cf. Tac. XI, 26 sqq.

§. 3. Viri docti.

Poetae. *Vergilius* VI, 435. VII, 69. 217. (XI, 180). Aeneidis conditor Athenis cum Caesare Augusto revertens tam gravem nactus est languorem, ut mox Brundisii morbo anno urbis 734 succumberet. cf. Donat. vit. Verg. §. 51.

---

[1]) opp. I. p. 44 sqq. — [2]) absurde scholiasta cum Aiace Tiberium comparari opinatur. — [3]) cf. Senec. controv. II, 10. — [4]) confuse de toto hoc loco mihi disputasse videtur Ribbeckius (Der echte Iuv.) p. 6 in adnotatione. — [5]) cf. Nipperdeium ad Tac. ann. IV, 42 (13). — [6]) cf. Vellei. Paterc. II, 116. — [7]) teste Tacito ann. VI, 30.

Horatius (I, 51). VIII, 62. 227. Decessit eodem anno quo Maecenas patronus Suetonio [1]) teste.

Rhetores et grammatici. *Theodorus* VII, 177 rhetor Tiberii praeceptor. Quintil. inst. III, 1, 17 'Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rhodium, quem studiose audiisse cum in eam insulam secessisset [anno 6 ante Christum [2])] dicitur Tiberius Caesar'. De exitu eius sufficit proxima inspexisse Quintiliani verba 'plura scripsit Theodorus cuius auditorem Hermagoram sunt qui viderint'.

Palaemon VI, 452. VII, 215 sqq. grammaticus Tiberio et Claudio imperatoribus longe celeberrimus [3]). Errare mihi non videor si senectutem eius usque ad Neronis aetatem deducam. Nitor enim hoc Plinii [4]) testimonio 'in nostra aetate pauca exempla consummatae huius artis fuere . . . maxima [fama fuit] Remmio Palaemoni alias grammatica arte celebri in hisce XX annis mercato rus DCM nummum . . . haec [praedia] aggressus excolere non virtute animi sed vanitate primo, quae nota mire in illo fuit . . . . . ad vix credibile miraculum perduxit . . . novissime Annaeo Seneca principe tum eruditionis ac potentiae, quae postremo nimia fuit super ipsum, tanto praedi eius amore capto ut non puderet inviso alias et ostentaturo tradere palmam eam emptis quadriplicato vineis illis intra decumum fere curae annum'. Et bene constare nostram rationem facile intelleges, si Senecae necem in annum 65 incidisse memineris [5]). Ipsa autem hac ratione scholiastae notam 'grammatici, magistri Quintiliani oratoris' tueri non dubito. Nam Quintilianus natus circiter anno 35 admodum puer Romam deductus est [6]).

Carrinas [7]) *Secundus* VII, 204 rhetor Caligulae tempore in exilium pulsus. Cassius Dio LIX, 20, 6 *περὶ μὲν οὖν τὰς ἀρχαιρεσίας ταῦτ' ἔπραξεν* Caligula, *οὕτω δὲ δὴ τὸ σύμ-*

---

[1]) in vitae Horatii exitu. — [2]) cf. Cass. Dion. LV, 9. — [3]) Suet. illustr. gramm. c. 23. — [4]) n. h. XIV. §. 48 sqq. — [5]) cf. Tac. ann. XV, 64. — [6]) commenta Dodvelliana refutasse meritum est Drieseni (de M. Fabii Quintiliani vita, Cliviis 1845) quem infra ad partes vocabo. — [7]) de nominis forma cf. Nipperdeium ad Tac. XV, 45 (12).

παν καὶ βάσκανος καὶ ὕποπτος πρὸς πάντα ὁμοίως ἦν ὥστε καὶ Καρίναν Σεκοῦνδον ῥήτορα φυγαδεῦσαί ποτε, ὅτι λόγον τινὰ ἐν γυμνασίᾳ κατὰ τυράννων εἶπεν. Quo facto Carrinatem migrasse Athenas ibique venenum hausisse Iuvenalis prodit. Mea quidem opinione quae versum 205 subsequuntur verba 'et hunc inopem vidistis Athenae' ad eundem Carrinatem referenda sunt. Ribbeckius quidem qui Heinrichium secutus contra disputat [1]) Socratem intellegi vult ob eamque caussam nixus insuper hoc argumento quod in sat. VII philosophi desiderarentur post versum 206 lacunam statuit. At hanc sententiam haud probaverim, quod proxime sequentia 'di maiorum — loco' cum antecedentibus 'poenituit multos vanae sterilisque cathedrae' tam arte cohaerent ut intercidisse aliquot versus parum sit credibile. Hoc tamen Ribbeckio concedo, scholiastae verbis 'veneno periit cum fugeret paupertatem' non multum tribuendum esse [2]) ac languidam fore orationem si versus 206 ad unum Carrinatem spectaret. Ego et Carrinatem intellego et Socratem de quo in antecedentibus (v. 105 sqq.) sermonem fuisse cum O. Iahnio Reifferscheidus [3]) statuit.

§. 4. Artifices.

Themison X, 222 medicus. Scholiastae adnotatio 'archiater illius temporis, cui detrahit' plane falsa est. Nam archiatrum exstitisse primum Andromachum Neroniano aevo Galenus [4]) auctor est, Themisonem autem ante Neronem vi-

---

[1]) l. l. p. 17. — [2]) Primo iam obtutu hanc adnotationem ex ipso versuum contextu fluxisse tibi persuadebis. Omnino autem duo inveniuntur adnotationum genera, quorum alterum ex ipsis carminibus, alterum e fontibus aliis eisque interdum puris derivatum esse liquido patet. Atque prioris generis notae modo sana mente ex rerum versuumque conexu expressae sunt (ut hoc loco), modo miras produnt ineptias (cf. II, 141 de Lyde). De aliis autem scholiastae fontibus partim qui fuerint hodie ignoramus (cf. ad IV, 77. XIII, 197) partim eosdem nos possumus adire (ut VI, 465 de Poppaea). Ceterum hae quoque notae excerptae sunt nonnunquam confuse (ut XIV, 91). — [3]) quaestt. Sueton. p. 422. — [4]) ed. Kuehn XIV. p. 2. cf. Sprengelii historiam medicinae Halis editam a. 1823. II. p. 79.

xisse testimoniis abunde firmatur. Fuit enim successor Asclepiadis Prusiensis, qui Pompei Magni aetate veterem medicinam mutaverat [1]). Quod Celsus Themisonem ad senectutem pervenisse significat [2]), idcirco media Augusti tempora excessisse putandus est.

Bathyllus VI, 63 pantominus. Scholiasta ex Iuvenale sua hausit. Idem Bathyllus est [3]), quem Augusti temporibus Maecenati in deliciis fuisse scimus [4]). Nam etsi Bathyllo Iuvenalis Thymelen adiunxit, quam Domitiano imperante floruisse constat, tamen ut eodem hoc tempore exstitisse Bathyllum cum Friedlaendero [5]) credamus nullo modo cogimur. Simillimam enim licentiam invenies sat. XIII, 97, ubi Ladas et Archigenes componuntur quamvis longo temporis intervallo disiuncti. Utroque loco solidas quasi et perpetuas personas vel imagines habemus: nam ut Ladas unum quemque significat cursorem [6]), Archigenes medicum [7]), ita Bathyllus pantominum, Tuccia aliquam virginem castam, Apula simplicem puellam rusticam. Praeterea si consideraveris VI, 123 quo loco Messalina multo ante Lyciscam scortum fato defuncta titulum illius mentita esse dicitur, vix vereor ne meae opinioni refrageris.

Caput II. a Nerone usque ad satirarum tempora.

Quod perlustraturi nunc sumus temporis spatium ita decurrere placet, ut primum eos quos antequam Iuvenalis carmina edidit iam defunctos fuisse certis testimoniis docemur, deinde eos quorum de exitu nil traditum est recenseamus.

A. §. 1. Aula imperatoria.

Nero IV, 28. 137. VI, 615. VIII, 72. 179. 193. 211 sqq.

---

1) cf. Plin. n. h. XXIX. §. 6. — 2) in praefatione libri I. p. 13. ed. Bipont. — 3) cf. O. Iahnium ad Pers. V, 123 (p. 200). — 4) cf. Tac. ann. I, 54. — 5) is hanc sententiam nuper protulit in descr. morum II. p. 390. — 6) cf. Catull 55, 25. Mart. II, 86, 8. X, 100, 5. — 7) Anticyra quoque non proprio sensu sed translato ponitur.

X, 15. 308. XII, 129. Crudelis tyrannus anno 68 cum omnis salutis spes incisa esset conscivit sibi mortem. cf. Suet. Ner. 49. Cass. Dion. LXIII, 29.

Poppaea VI, 465 'pinguia Poppaeana.' Scholiasta sic 'Poppea uxor Neronis adeo diligens in excolenda forma fuit, ut eam quinquaginta asinae sequerentur missam in exilium [1]) quarum lacte candorem corporis provocabat . . . decessit calce a Nerone percussa [anno 65]'. cf. Tac. ann. XVI, 6.

Tigellinus I, 155. Utile extat scholion 'C. Sofonius Tigellinus patre Agrigentino Scyllaceum relegato iuvenis egens verum admodum pulcher in concubinatu M. Vinicio [2]) et Lucio Domitio [3]) maritis Agrippinae et Iuliae sororum Caesaris . . . . suspectus ob hoc urbe summotus [4]) piscatoriam in Achaia exercuit, quoad accepta hereditate reditum sub condicione impetravit, ut conspectu Claudii abstineret, quare saltibus in Apulia et Calabria comparatis cum studiose equos aleret quadrigarios amicitiam Neronis nactus primus illum ad studium circensium movit'. Quo interfecto apud Galbam Titi Vinii potentia aegre defensus imperante Othone violenta morte periit. cf. Tac. hist. I, 72.

Vatinius V, 46 sutor Beneventanus. Nihil novi legitur apud scholiastam, eo magis operae pretium est inspicere Taciti annales XV, 34 'apud Beneventum interim consedit [Nero] ubi gladiatorium munus a Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus primo in contumelias assumptus, dehinc optimi cuiusque criminatione usque eo valuit, ut gratia pecunia vi nocendi etiam malos praemineret'. Fortuna tamen haud diu ei favit. Tac. ib. 38 'septem a Neronis fine menses sunt et iam plus rapuit Icelus quam quo Polycliti et Vatinii et Aegiali perierunt'. Fregisse

---

[1]) Reimarus (ad Cass. Dion. LXII, 28) feliciter reposuit *solium;* nusquam enim Poppaeam exulem fuisse audimus. cf. praeterea unde illa sumpta videntur Plinii n. h. XI. §. 238. — [2]) cf. Tac. ann. VI, 15. — [3]) confunditur pater cum filio Cn. Domitio. ibid. IV, 75. — [4]) cf. Cass. Dion. LIX, 23.

autem Vatinii potentiam Materni meritum fuit, cf. auct. dial. c. 11.

Galba II, 104. VI, 559 [1]). VIII, (5). 222. Medio in foro oppressus ab Othonis equitibus trucidatur. Suet. Galb. 19.

Otho II, 99. VI, 559. Contra Vitellianos prope Bedriacum male re gesta incumbit in gladium. Tac. hist. II, 49.

Domitianus II, 29 sqq. [2]) sat. IV, 29 sqq. Exeunte hac satira quod extat testimonium, Domitiani percussores cerdones fuisse i. e. inferiore loco ortos homines [3]), id firmatur a Suetonio Dom. 17 'saucium ac repugnantem adorti Clodianus cornicularius et Maximus Parthenii libertus et Saturius decurio cubiculariorum et quidam e gladiatorio ludo vulneribus septem contrucidarunt'.

Iulia II, 32 Titi filia a patruo stuprata. Suet. Dom. 22 'fratris filiam adhuc virginem oblatam in matrimonium sibi cum devinctus Domitiae nuptiis pertinacissime recusasset non multo post alii collocatam corrupit ultro et quidem vivo etiam tum Tito: mox patre ac viro orbatam ardentissime palamque dilexit, ut etiam caussa mortis exstiterit coactae conceptum a se abigere'. Et hoc quidem referendum esse ad annum 90 iam in prooemio indicavimus p. 6.

Agrippa VI, 158. Herodes II. [4]) qui teste Iosepho [5]) in Claudii aula educatus est. In hac parte collocare eum ideo praeoptavi, quod usque ad summam pervenit senectutem. Nam anno 100 vel proximo demum anno supremum diem

---

[1]) horum versuum patrocinium suscepit B. Lupus l. l. p. 25. — [2]) scholiasta inepte de Claudio Caesare cogitat. — [3]) his obscurae condicionis hominibus iure ut nobilitatis exempla opponuntur Lamiae. Aelius enim Lamia, cuius uxorem Domitiam Longinam in matrimonium Domitianus abduxerat, levissima de caussa e medio sublatus esse traditur. Suet. Dom. 1 et 10. — [4]) scholiasta Postumum Agrippam M. Vipsani filium (cf. Tac. ann. I, 6) inscienter eundem ducit atque Agrippam Herodem. — [5]) antiq. Iud. XIX, 9, 2.

obiit [1]), certe antequam sexta satira scripta est [2]). De incesto, quod Iuvenalis tecte notat, idem Iosephus [3]) haec habet: *Βερνίκη δὲ μετὰ τὴν Ἡρώδου τελευτὴν ὅς αὐτῆς ἀνὴρ καὶ θεῖος ἐγεγόνει πολὺν χρόνον ἐπιχηρεύσασα φήμης ἐπισχυούσης ὅτι τῷ ἀδελφῷ συνῄει* eqs.

---

§. 2. Viri primarii et potentes.

Barea III, 116 sqq. Soranus. Recte scholiasta 'detulit stoicus [Egnatius Celer] imperatori discipulum suum Baream dicens, quasi in eius perniciem cum ceteris coniurasset. hoc temporibus Neronis factum est'. Mortis autem ei datur arbitrium anno post Christum 66. cf. Tac. XVI, 33.

Corbulo III, 251. Scholiastae adnotatio 'alii dicunt athletam illius temporis fortem Corbulonem fuisse, alii genus navis' ipsa prae se fert speciem dubitationis. Contra qui apud Tacitum ann. XIII, 8 legerit 'Corbulo . . . corpore ingens verbis magnificis et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus' ei certe haec coniectura, celeberrimum militum ducem pro quolibet homine robusto poni multo videbitur probabilior. Nero Corbuloni meritum non persolvit praemium. Cass. Dio LXIII, 17: *τοῦ δὲ δὴ Κορβούλωνος [μνημονεύσω] ὅτι καὶ ἐκεῖνον ἐντιμότατα μεταπεμψάμενος . . . σφαγῆναι πρὶν καὶ ἐς ὄψιν αὐτῷ ἐλθεῖν προσέταξεν.*

Lateranus [4]) VIII, 146 sqq. X, 17. E priore loco cum pateat Lateranum consulem Neronis aequalem fuisse, non diu incerti haerebimus altero loco num eiusdem mentio iniecta sit [5]). Laterani caedem sic describit Tacitus ann. XV,

---

[1]) cf. Ewaldii historiam gentis Israel. Gottingae 1868. VII. p. 25. — [2]) Dacici nomen quod extat v. 205 Traianus in nummis gerit inde ab anno 103. cf. Friedlaenderum in ind. lect. acad. Alb. a. h. s. LIX. — [3]) ibid. XX, 7, 3. — [4]) codices interpolati in versibus 147. 151. 167 nomen exhibent Damasippi, quod spernendum esse propter versum 185 rectissime iam observavit Heinrichius p. 329 sqq. Suspicari fortasse licebit Damasippi nomen ut Laterani insanum aurigandi studium breviter notaretur margini olim adscriptum inde in ipsos versus irrepsisse. — [5]) quae sat. VIII poeta Laterano opprobrio vertit ea addas Taciteae morum descriptioni.

60 'proximam necem Plautii Laterani consulis designati Nero adiungit adeo propere, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret' eqs.

Piso V, 109. Notissima est Pisonis in amicos liberalitas [1]). Coniurationem in Neronem molitus in ipso conatu opprimitur. Tac. ib. XV, 59 'fuere qui prodita coniuratione . . . hortarentur Pisonem pergere in castra aut rostra escendere studiaque militum et populi temptare . . . . immotus his animum adversum suprema firmabat . . . . obiit abruptis brachiorum venis'.

Seneca V, 109. VIII, 212. X, 16. Tertio loco fortasse cum caussa Laterani nomen adiungitur. Tac. ib. XV, 60 'sequitur [Laterani necem] caedes Annaei Senecae laetissima principi non quia coniurationis manifestum compererat sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat' eqs.

Thrasea V, 36 vir liberrimi ingenii [2]). Capito Cossutianus qui accusatus quondam de repetundis Thraseae auctoritate anno 58 conciderat [3]) ira tam acri eum persequitur, ut eodem die quo Barea Soranus etiam Thrasea levissimis de caussis capitis condemnetur; emoritur incisis venis. cf. Tac. XVI, 23 sqq.

Vindex VIII, 221 pro praetore Galliam provinciam obtinens [4]) anno 68 conspirat in Neronem. Cass. Dio LXIII, 24: *Ῥοῦφος δὲ ἄρχων τῆς Γερμανίας ὥρμησε μὲν ὡς καὶ τῷ Οὐίνδικι πολεμήσων . . . . τοῦ δὲ Οὐίνδικος οὐ πόρρω στρατοπεδεύσαντος . . . . κατὰ τοῦ Νέρωνος ὡς εἰκάζετο συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους· μετὰ δὲ τοῦτο ὁ Οὐίνδιξ . . . . αὐτὸς ἑαυτὸν ἔσφαξεν.*

Helvidius V, 36 Thraseae gener. Paullo post soceri obitum in exilium eiectus rediit quidem imperante Galba [5]) sed mox in perniciem incurrit. Suet. Vesp. 15 'Helvidio Prisco . . . . non ante succensuit [Vespasianus] quam altercationibus

---

[1]) cf. Tac. ann. XV, 48. — [2]) cf. Tac. hist. IV, 5. — [3]) Tac. ann. XIII, 33. XVI, 22. — [4]) cf. Suet. Ner. 40. — [5]) teste Tacito hist. IV, 6.

insolentissimis paene in ordinem redactus. hunc quoque quamvis relegatum primo deinde et interfici iussum magni aestimavit servare quoquo modo missis qui percussores revocarent et servasset nisi iam periisse falso renuntiatum esset'.

Longinus X, 16 consul suffectus anno 30 p. Chr. [1]). Consulto fortasse Iuvenalis scripsit 'Longinum clausit tota cohors' non 'Longini hortos' aut similia [2]), quoniam Tacitus ann. XV, 9 haec tradidit 'tunc consulto senatus Cassio et Silano exilia decernuntur .... deportatusque in insulam Sardiniam Cassius et senectus eius exspectabatur'. Accedit testis Pomponius Dig. I, 2, 2. §. 51 'huic successit C. Cassius Longinus ... hic consul fuit cum Quartino temporibus Tiberii, sed plurimum in civitate auctoritatis habuit eo usque, donec eum Caesar civitate pelleret; expulsus ab eo in Sardiniam revocatus a Vespasiano diem suum obiit' [3]).

Fuscus IV, 111 e consilio Domitiani. Scholiasta haec 'Fuscus sub Domitiano exercitui praepositus in Dacia periit' num collegerit ex Iuvenale incertum est. In memoriam Fusci teste Martiale VI, 76 anno 90 [4]) monumentum in hostili terra exstructum est. Multis annis post Traianus praedam de Fusco captam reciperavit [5]).

Crispus IV, 81 Vibius e consilio Domitiani. Errat scholiasta quod Vibium Crispum eundem ducit atque Passienum Neronis vitricum [6]). Vibius Crispus Vercellis oriundus iam cum Vespasiano amicitia coniunctus fuisse dicitur [7]); a filio quoque eum in familiaritatem receptum esse Iuvenalis docet. Idem Vibium ad octogesimum annum vitam perduxisse versu

---

[1]) cf. Nipperdeium ad Tac. VI, 15 (12). — [2]) cf. Heinrichium p. 380. — [3]) quae si comparaveris testimonia haud graviter in eo offendes, quod Suetonius Ner. 37 Cassiusque Dio LXII, 27 iam imperante Nerone illum obiisse narrant. — [4]) cf. Friedlaenderum in indice lect. a. LXII, 1. p. 9. Stobbium in Philologo XXVI, 1. p. 56 sqq. — [5]) teste Cassio Dione LXVIII, 9. — [6]) qui imperante Claudio iam necatus est. cf. Euseb. chron. p. 151 Schoene. — [7]) cf. auct. dial. 8.

92 testatur [1]). Confectus autem senectute haud multo post concilium, quod eo loco describitur periisse videtur. Quintil. X, 1, 119 'erant clara et nuper ingenia .... Vibius Crispus compositus et iucundus et delectationi natus, privatis tamen caussis quam publicis melior. Iulio Secundo si longior contigisset aetas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret' quo loco de mortuis agi apertum est. Publicatus autem Quintiliani libellus est anno 95 [2]).

Catullus IV, 113 sqq. Messalinus e consilio principis. Nihil prodest scholiastae nota. Catullus quantum apud Domitianum gratia valuerit paucis complectitur Tacitus Agric. 45 'intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat'. Diem supremum obiit extremis Domitiani temporibus aut paullo post. Plinius ep. IV, 22 'cenabat Nerva cum paucis .... incidit sermo de Catullo Messalino, qui luminibus orbatus ingenio saevo mala caecitatis addiderat ... de huius nequitia sanguinariisque sententiis in commune omnes super cenam loquebantur, cum ipse imperator „quid putamus passurum fuisse si viveret" et Mauricus „nobiscum cenaret" eqs.

Acilius (filius) IV, 94 sqq. e consilio principis. Scholiasta qui adnotavit 'consul sub Domitiano fuit, indignus pati quae passus est, huius cum iuvenem Nero occideret, ipsum Acilium servavit, qui poenas sentiret orbitatis' filii consulatum non internovit a patris nec Domitianum a Nerone fortasse eo deceptus, quod in satira ipsa (v. 37) Domitianus calvus Nero vocatur. Cecidit filius anno 95. Cass. Dio LXVII, 14: *τὸν δὲ δὴ Γλαβρίωνα τὸν μετὰ τοῦ Τραιανοῦ ἄρξαντα* anno 91 [3]) *κατηγορηθέντα τά τε ἄλλα καὶ οἷα οἱ πολλοὶ καὶ ὅτι καὶ θηρίοις ἐμάχετο ἀπέκτεινεν* eqs.

---

[1]) ad tempus illud, quo convocatum esse concilium Iuvenalis fingit — i. e. annum 84 vel 85 cum bellum Dacicum (cf. v. 111 cum v. 37) geri coeptum sit inde ab anno 86 (cf. Stobbium l. l. Imhofium in libello scripto de Domitiano p. 57 adnot. 3) — prave hunc versum referri Imhofius voluit l. l. p. 75 sqq. — [2]) cf. Driesenum l. l. p. 16 sqq. — [3]) cf. Cass. Dion. ibid. c. 12.

Carus I, 35 Metius potens delatox. Scholiastae verbis 'Massa et Carus Heliodoro deferente occisi sunt' noli fidem habere. Ad quae ille ea re adductus videtur, quod v. 33 magni amici delatorem Heliodorum intellegi voluerat, ipse autem de hac re alios aliter iudicasse testatur. Refellit scholiastam Martialis epigrammate X, 77 unde Carum febri succubuisse cognoscimus. Neque ibi dubium est quin idem Carus notetur qui ep. XII, 25 cuiusvis accusatoris instar nominatur. Martialis autem libri X editionem secundam cum imperante Nerva prodiisse verisimillimum sit [1]) consequitur Carum sub hoc tempus morbo absumptum esse [2]), Domitiano quidem superstitem eum fuisse discimus e Plinii epistula I, 5.

Verginius VIII, 221. Scholiastae notam 'unus de coniuratis qui Neronem occiderunt' ex ipsa satira desumptam esse in propatulo est. Rufus ad summam venit senectutem, nam dira excessit tempora Domitiani ac vidit Nervam. 'Caecares' inquit Plinius [3]) 'quibus suspectus atque etiam invisus virtutibus fuerat evasit: reliquit incolumem optimum atque amicissimum tanquam ad hunc ipsum honorem publici muneris reservatus' eqs. Mortuus est anno 97 p. Chr. [4]).

§. 3. Viri docti.

Lucanus VII, 79 Pharsaliae scriptor. Nil mirum quod Lucanus Neronis invidiam non fugit, in quem summa linguae intemperantia saeviret [5]). Itaque Nero Lucani caedem anno 65 imperat. cf. Tac. ann. XV, 70.

Serranus VII, 80 poeta. Testimonium de Serrano incognitum repperit G. Sarpius [6]) qui coniectura peritissimis viris valde probata [7]) apud Quintilianum (X, 1, 89) haec reposuit

---

[1]) sequor Friedlaenderi rationes in indice lect. acad. Regim. a. h. s. LXV publicatas, non Stobbii qui l. l. p. 65 sqq. hunc epigrammatum librum ineunti anno 99 adsignavit. Friedlaenderi ratiocinationem novissime Mommsenus in Herma l. l. p. 120 sqq. comprobavit. — [2]) de Massa quoque scholiastam male rettulisse suo loco elucebit. — [3]) ep. II, 1. — [4]) cf. Mommsenum l. l. p. 38. — [5]) cf. O. Iahnium in proleg. ad Persium praef. p. 32. — [6]) quaestt. philol. Rostoch. 1819. c. 2 sqq. — [7]) veluti O. Iahnio l. l. p. 29.

'Serranum [1]) consummari mors immatura non passa est, puerilia tamen eius opera et maximam indolem ostendunt et admirabilem praecipue in aetate illa recti generis voluntatem'. Qua ex coniectura de Serrani morte non iam dubitatur. Ceterum hac satira cum in enumerandis poetarum nominibus temporum ordinem teneri videamus, Serranum eodem fere tempore atque Lucanum et Saleium vixisse manifestum fit.

Saleius VII, 80 poeta. Nihil ad rem scholiasta. Floruit Saleius Bassus temporibus Vespasiani. Auct. dial. 9 'laudavimus nuper ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset' eqs. Ut de mortuo loquitur Quintilianus X, 1, 90 'multum in Valerio Flacco nuper amisimus. vehemens et poeticum ingenium Salei Bassi fuit nec ipsum senectute maturum'.

---

§. 4. Artifices scaenici.

Paris VII, 87 pantomimus apud Domitianum potens. Alium scaenicum si intellegeres Paridem [2]) valde errares [3]), Statio enim ille favisse dicitur. Qui tyranni familiaritate insolenter abusus gratia mox excidit ita, ut potentiam lueret supplicio anno 83. Cass. Dio LXVII, 3: *τὴν δὲ γυναῖκα τὴν Δομιτίαν ἐβουλεύσατο μὲν σφάξαι ἐπὶ μοιχείᾳ, παρακληθεὶς δὲ ὑπὸ τοῦ Οὔρσου ἀπεπέμψατο, τὸν Πάριν τὸν ὀρχηστὴν ἐν μέσῃ τῇ ὁδῷ δι' αὐτὴν φονεύσας.* cf. Suet. Dom. 3.

Demetrius et Stratocles III, 99 comoedi. Miris laudibus efferuntur a Quintiliano XI, 3, 178 sqq. 'in quibusdam virtutes non habent gratiam, in quibusdam vitia ipsa delectant. maximos actores comoediarum Demetrium et Stratoclem pla-

---

[1]) vulgo legebatur 'sed eum', codices fluctuant inter 'ferrenum Varrenum Terrenum'. — [2]) velut famosum illum Neroniani aevi artificem, de quo cf. Suet. Ner. 54. — [3]) vitarum fabulis, quae propter huius pantomimi iram Iuvenalem exulasse narrant, nullam habendam esse fidem, qui quam oculatum ubique illorum temporum testem poeta se praebeat consideraverit nemo negabit. Paridis nomine usus Iuvenalis posterioris (sive Traiani sive Hadriani) aetatis artificum insolentias perstringit. cf. Synnerbergium p. 81 sqq. Ribbeckium in editione p. XI sqq.

cere diversis virtutibus vidimus sed illud minus mirum, quod alter deos et iuvenes et bonos patres servosque et matronas et graves anus optime, alter acres senes callidos servos parasitos lenones et omnia agitatiora melius' eqs. Unde facile est intellectu, cum haec Quintilianus litteris mandaret Demetrium et Stratoclem aut Romam reliquisse aut scaenam non ludiorum solum sed etiam vitae.

---

§. 5. Homines scelerati.

Pontia VI, 631 parricida. Scholion quod unde sumptum sit nescimus, hoc est 'Pontia Publi [1]) Petroni filia, quem Nero convictum in crimine coniurationis damnavit, defuncto marito filios suos veneno necasse convicta cum largis se epulis onerasset et vino, venis incisis saltans quo maxime studio oblectabatur exstincta est'. Qua ex nota titulus fictus est Gruterianus p. 921, 6, cuius huc transcribere ineptias supervacaneum est.

Lucusta [2]) I, 71 venefica, quae teste scholiasta oriunda fuit ex Gallia, cetera satis nota sunt ex Suetonio Ner. 33. Supplicio eam tradidit Galba. Cass. Dio LXII, 3: *τὸν μέντοι Ἥλιον καὶ τὸν Νάρκισσον τόν τε Πατρόβιον καὶ τὴν Λουκοῦσιαν τὴν φαρμακίδα καὶ ἄλλους τινὰς τῶν ἐπὶ τοῦ Νέρωνος ἐπιπολασάντων κατά τε τὴν πόλιν πᾶσαν δεδεμένους περιαχθῆναι καὶ μετὰ τοῦτο κολασθῆναι ἐκέλευσεν.*

Haec de mortuis.

B. Iam difficilior existit quaestio de eis, quorum de exitu frustra circumspexeris testimonia. Quamquam non vereor, ne quis sententiam meam ut qui hos quoque tum vita decessisse contendam acrius impugnet. In fine (sub littera b) illos adiciam quos quamquam etiam tum fuisse probabile est tamen iustis de caussis Iuvenali quasi mortuos suis carminibus inserere licuit.

---

[1]) substituendum esse Titi praenomen statuit Nipperdeius ad Tac. XVI, 17 (4). — [2]) hanc nominis formam tuentur etiam monumenta apud Gruterum p. 714, 3. 1139, 2 et Mommsenum I. R. N. p. 6044.

a. §. 1. Viri publicis muneribus functi.

Capito VIII, 93. Scholiasta nihil adnotat nisi quod ex satira ipsa patet, Cossutianum Capitonem Cilices diripuisse. Hoc autem factum est anno 58 p. Chr. [1]). Undecim annis ante Capito causidici partes susceperat legem Cinciam acriter aggressus [2]). Unde facile est intellectu, natalem annum Capitonis non posse poni post media Tiberii tempora. Hanc autem satiram e versibus 169 sqq. cognoscitur [3]) Traiani posteriore demum aetate absolutam esse, ad quam Capitonis vitam durasse credibile non est.

Fonteius XIII, 17. Duo fuere Iuvenalis temporibus eius nominis consules, quorum alter consulatum gessit anno 59, alter octavo anno post. Quapropter sane incertum videretur, utrius Fontei poeta meminerit nisi Borghesius prudentissimus fastorum arbiter docuisset [4]), ubi ad definienda tempora unius consulis nomen adhiberetur, eum solere nominari qui locum obtinuisset priorem. Iam illius nomen lapis Neapoli repertus [5]) secundo loco exhibet, nomen huius in fastis consularibus [6]) invenitur praescriptum. Qua re Borghesius recte Fonteium a. 67 consulem intellegit, cuius ex consulatu cum sexaginta annos praeterlapsos esse idem ille versus declaret, fieri non potuit ut Fonteius etiam tum viveret.

Pegasus IV, 77 praefectus urbi. Scholiasta memorabilia adscripsit haec 'filius trierarchi, ex cuius liburnae parasemo nomen accepit, iuris studio gloriam memoriae meruit ut liber vulgo, non homo diceretur. hic functus omni honore cum pro-

---

[1]) cf. Tac. ann. XIII, 33. — [2]) ibid. XI, 6. — [3]) optimo iure Ribbeckius (in edit. praef. p. 10) his versibus qui tunc fuerit rerum statum tecte significari statuit; bella autem contra Armenios et Assyrios Traiani imperio gesta satis nota sunt. Praeterea vide versum 120. — [4]) in epistula ad O. Iahnium missa 'intorno all' età di Giovenale'. Romae 1847. p. 30 sqq. — [5]) in Mommseni I. N. 3067. — [6]) cf. chronographum anni 354 (Abhandl. der k. saechs. Gesellsch. d. Wiss. phil. hist. Klasse II. p. 619) et Cassiodorum (ibid. VIII. p. 633).

vinciis plurimis praefuisset urbis curam administravit. hinc est Pegasianum SCtum'. Idem notari senatus consultum videtur quod 'Vespasiani Augusti temporibus Pegaso et Pusione consulibus' factum est anno incerto [1]). Iam eodem imperatore Pegasum ad praefecturam urbis pervenisse Pomponius [2]) auctor est, Iuvenalis autem eum paullo ante convocatum in Albanum procerum concilium praefecturam adeptum esse versu 77 perspicue significat. Cuius testimonio utpote scriptoris Pegaso aequalis plus tribuendum videtur quam Pomponii. Certe non licet Pegasi praefecturam inter Sabinum et Aelianum interponere [3]), quorum hic munus suscepit circa annum 72 [4]) neque bis Pegasum urbi praefuisse verisimile est neque Corsinii [5]) sententia arbitrati praefecturam eius Vespasiano vivo inceptam imperatore Domitiano continuatam esse commendatur Iuvenalis illo 'positus modo'. At utut ea res est, hoc pro explorato habere licet, Pegasum ante Domitiani mortem vitam reliquisse, certe honorem circa annum 90 iam reliquerat, cum Statii carmine I, 4 tunc urbis praefecturam gessisse doceamur Rutilium Gallicum [6]).

Gallicus XIII, 157 praefectus urbi. Scholiasta custodem urbis inepte cum praefecto vigilum confundit. Totius loci sensum rectissime reddidisse mihi videtur Heinrichius p. 470 interpretatus 'ein Gallicus'. Supra qui legerit Rutilium Gallicum iam sub annum 90 ad praefecturam pervenisse eundemque ex Statio (v. 53) sexagesimum annum tum iam egressum fuisse didicerit, longe aberit ut cum Webero p. 574 Gallicum usque ad annum huius satirae 127 (cf. versum 17) in magistratu permansisse sentiat. Quodsi verum esset, Rutilius minimum per triginta septem annos praefecturam administrasse putandus esset. Sed quid plura cum imperante Traiano quot praefecti supervenerint cuique liceat e Corsinio (p. 50 sqq.) perspicere. Coniecerit sane quispiam Iuvenalis Gallicum alium

---

1) instit. Iustin. II, 23. §. 5. — 2) Digest. I, 2. §. 53. — 3) cf. Borghesii observazioni intorno un' iscrizione Veneta in operum tom. III. p. 315 sqq. — 4) cf. Henzenum in annalibus inst. Rom. 1859. p. 5 sqq. — 5) cf. seriem praefectorum urbis. Pisis 1766. p. 48. — 6) cf. Friedlaenderum in progr. laud. p. 14.

esse atque Statii, sed nusquam apud Corsinium alius Gallici nomen repperi et si refertas esse has satiras notis hominum mortuorum nominibus reputamus, quae tamquam exempla orationem illustrent, non dubium videbitur quin pro praefecto quolibet Gallicus nominetur. In hunc vero satirarum scriptor eo facilius poterat incidere, quod scelera audiendi copia ac potestas proximae aetatis praefectis non tanta data erat quanta illi propter Domitiani saevitiam.

Crispinus I, 27. IV, 1 sqq. e consilio Domitiani. Sat. IV tam fastidiose atque contemptim Iuvenalis de hoc principis convictore loquitur, ut poetam qui de periculis Lucilianae libertatis praedixerat, sic in vivum hominem invehi equidem non possim mihi persuadere. Quid quod eodem in carmine, quo vivos non castigaturum se promittit, nominatim Crispinum adfert! Est vero hoc gravissimum me iudice argumentum quo si quis Crispinum Mario Prisco superstitem fuisse coniecerit eum refellas, nisi forte rem ita velit enodare, ut Crispinum sub illud tempus e fortunae fastigio ad nihilum reccidisse statuat. Non repugnat nostrae sententiae Martialis qui ep. VII, 99 et VIII, 48 Crispini meminit. Nam editus est liber illius VIII ineunte anno 94 [1]).

Montanus IV, 107. 130 sqq. e consilio principis. Scholiasta non dignus est quem inspicias. Ex morum descriptione quae versibus 136 sqq. continetur, hunc Montanum eundem esse atque illum, cuius filio Nero pepercisse dicitur, Nipperdeius recte cognovit. Nam Taciti [2]) illud 'Montanus patri concessus est' patrem Neronis gratiam sibi conciliasse clare ostendit [3]), qua autem re conciliaverit ex hac satira liquet. Iam si cum Nipperdeio facimus, Montanum hunc, cui filius erat anno 66 p. Chr. adeo adultus ut propter detestanda carmina in iudicium vocaretur, vitam in Traiani aetatem vix producere potuisse in propatulo est. Nam temporum ratio

---

1) Friedlaenderus l. l. p. 10 sqq. cf. contra Stobbium p. 46 sqq. — 2) ann. XVI, 33. — 3) valde igitur vereor ut interpretes ei qui filium intellegi volunt Heinrichius p. 188 et Haeckermannus p. 229 (cf. Friedlaenderi descr. morum I. p. 108 adnot. 1) fidei satis inventuri sint.

postulat, ut natalem Montani annum non post mediam Tiberii aetatem differamus [1]). Denique ipsa morum descriptio quam Iuvenalis edidit, imprimis versus 139 ad mortuum hominem spectare videtur.

Rubrius IV, 105 e consilio principis. Vetus illa offensa, cuius conscius fuisse Rubrius h. l. traditur, a scholiasta sic explicatur 'iste Rubrius aliquando Iuliam in pueritia corruperat et verebatur ne pro hac mercede penas ab ipso reposceret'. Quod si verum est (est autem nihil quod scholiastae opponas) quis dubitet intellegere Rubrium Gallum, qui Caecinam in eam voluntatem adduxisse fertur, ut derelictis Vitellii partibus anno 69 ad Flavium Sabinum Vespasiani fratrem transiret [2]). Eiusdem paullo post plurima fuit opera in bello Sarmatico, quod feliciter confecit [3]). Inde fortasse cur clementem in Rubrium Domitianus se praebuerit licet repetere. Num post concilium illud poenas Rubrius luerit ignoramus, at cum maledico dente a Iuvenale carpatur, haud facile Nervae eum superstitem fuisse suspicamur [4]). Neque omittendum est iam anno 68 p. Chr. tam maturae eum fuisse aetatis ut contra Galbam exercitum duceret [5]).

Veionto III, 185. IV; 113. VI, 113 e consilio principis. Frustra testimonia quaeres quibus innixus ad Traiani aetatem Veientonem detrudas. Parum accurate disputans Weberus p. 319 lectorem relegavit ad Plinii epistulas IV, 22 et IX, 13, in quibus illum effugit Nervae tempora tangi. Ac priore loco ille princeps nominatim inducitur, in altera epistula primum 'occiso Domitiano statui mecum ac deliberavi esse magnam pulchramque materiam insectandi nocentes', deinde intermissis paucis sententiis 'ac primis quidem diebus redditae libertatis pro se quisque inimicos suos oppresserant' satis de-

---

[1]) prave igitur ad hunc Montanum Plinii epistulam VIII, 6 missam statuit Haakhius in Pauli encycl. II. p. 799 n. 15 cum epistula quem adloquitur Montanum Claudii temporibus nondum vixisse ipsa patefaciat. — [2]) cf. Tac. hist. II, 99. — [3]) testis est Iosephus b. i. VII, 4, 3. — [4]) iste Rubrius Gallus qui Traiani temporibus consulatum gessit (cf. Digest. XL, 5 l. 26 § 7) certe alius fuit inferior. cf. Haakhium l. l. VI, 1 p. 558. — [5]) cf. Cass. Dion. LXIII, 27.

clarant initia describi Nervae. Nihil aliud igitur hae epistulae demonstrant quam circa annum 97 p. Chr. Veientonem etiam vixisse quamvis senem despectum a plerisque.

---

§. 2. Viri docti.

Celsus VI, 245 iurisconsultus. Scholiasta haec habet 'oratori illius temporis qui septem libros institutionum scriptos reliquit' oratorem ab iurisconsulto non distinguens [1]). Duo fuere Iuventii Celsi, pater et filius. Pomponius in dig. 1, 2 § 53 'Pegaso [successit] Celsus, patri Celso Celsus filius et Priscus Neratius, qui utrique consules fuerunt, Celsus quidem et iterum'. Nullam equidem video caussam, cur plerique interpretes Celsum intellegi velint filium. Sententia loci haec est: feminae a maiorum moribus deficientes ipsae iam componunt libellos legumque tam sunt peritae, ut cum celeberrimo quoque iurisconsulto possint contendere. Unde poetam de praetore Celso cogitasse iniuria concludunt, cuius opinionis levitas vel ex eo cognoscitur, quod satiram VI ante Celsi filii praeturam conscriptam esse verisimile est. Praetura enim incidit in annum 106 vel in proximum [2]), certe in posteriorem quam a. 103, cui anno satiram VI supra adsignavimus. Itaque Heinrichio (p. 242) et Teuffelio (p. 217) ego adsentior, quibus Celsus pater memorari visus est. Ut de plerisque qui tunc fuere iurisconsultis, ita de Celso nihil fere novimus, ne hoc quidem cum 'in consilio Duceni Veri consulis' fuerit [3]) quo id anno factum sit. Prope autem ad veritatem accedere nobis videmur si circa Claudii tempora Celsum natum fuisse statuimus. Nam filius anno 106 ad praeturam provectus non potest post media Vespasiani tempora lucem aspexisse [4]). Proinde inter vivos referendum esse Celsum patrem nullo modo consequitur.

---

[1]) cf. Zimmern. hist. iuris privati I § 28 adnot. 27. — [2]) cf. Mommsenum l. l. p. 48. — [3]) cf. Zimmern. l. l. adnot. 11. — [4]) nam praetoris munus ab imperatoribus eis tantum deferri solitum est, qui minimum tricesimum annum excesserant.

Quintilianus VI, 75. 280. VII, 186 sqq. rhetor. Quaecunque superiores viri docti de Quintiliani temporibus scripsere fere nugas esse futilesque captiones iam dudum perspectum est. Dodwellus [1]) imprimis commenta commentis exaggerans [2]) ad definiendam rhetoris celeberrimi vitam vix quicquam contulit. Ille cum natalem annum 42 esse statuisset, Driesenus comparatis eis quae in institutionibus extant testimoniis [3]) ortum Quintiliani ad annum fere 35 referendum esse acute intellexit. Pariterque Dodwellus sine iusta caussa exitum eius usque ad Hadriani aetatem (a. 118) proferri voluerat. Qua de re etiamsi nemo adhuc accuratius quaesivit, tamen non defuere nostra memoria qui multo antea Quintilianum mortem obiisse suspicarentur Nerva imperante aut adeo Domitiano [4]). Ac receptus iam erat a Suetonio inter viros illustres utpote mortuus. Praeterea qui in praefatione sexti libri quam fracto afflictoque animo orbitatem suam deploret atque omnino vitam deprecetur legerit, non gravabitur senem agnoscere morti propinquum [5]). Satis autem constat, iam tum sexagenarium Quintilianum fuisse atque ab illo tempore usque ad publicatam satiram VI minimum novem annorum spatium intercessit.

Statius VII, 83. Commenta Dodwelliana primus discussit Aemilius Grosse [6]) neque id infeliciter, quoniam summos demonstravit errores, e quibus reliqui penderent, in hoc tamen acquievit. Multo accuratius de Statii vita nuper egit Imhofius [7]). Restituta III, 5, 24 codicum lectione ('servat et

---

[1]) in annalibus Velleianis Quintilianeis Statianis. Oxonii 1698. — [2]) cf. Niebuhrii kl. hist. Schriften p. 113. — [3]) X, 1, 24. VI, 1, 14. VIII, 3, 31. X, 1, 96. V, 7, 7. XII, 11, 3. — [4]) ut Rothius in praef. edit. Suet. p. 77. — [5]) forsitan obicias Plinii epistulam VI, 32 unde cum Quintiliani filia nubere vellet Plinium quinquaginta milia nummum in dotem contulisse discimus, at permotus Quintiliani ipsius quod supra protuli de orbitate testimonio — est autem Plinii epistula si multum concedo duodecim annis post scripta — sequor C. Fr. Hermannum, qui nominibus tantum Plinii amicum cum rhetore convenire probabiliter statuit. cf. ind. lect. acad. Georg. Aug. a. h. s. XLIII p. 17 sqq. — [6]) Observatorum in Statii silvis specimen. dissert. Berolini 1861. — [7]) P. Papinii Statii ecloga ad uxorem, Halae 1863 p. 15 sqq.

in senium') Statium cum ad uxorem misit hanc epistulam iam senem fuisse aut certe senescentem certo scimus. Porro cum hanc epistulam post annum 94 scriptam esse ille ostenderit, verisimile habebitur etiam quod addit non facile poetam post annum 40 natum fuisse [1]). Iure autem ne ex Iuvenale diutius quam vulgo creditur [2]) vixisse Statium concludamus cavere nos iubet quamvis aliunde hoc colligi posse ipse arbitratus. Quod nescio equidem unde compertum habeat, neque nunc opus est vocari in disceptationem, quia Statius postquam a. 94 certamine Capitolino victus Romam reliquit ac migravit Neapolim [3]) ferme mortui loco haberi coeptus est. In carminibus eius post Domitianum facta nulla reperiuntur.

His nominibus ea adiungam quae Iuvenali cum Martiale communia sunt. Qui cum paene viginti annis ante satirarum scriptorem epigrammata edere inceperit, hos quoque homines fuisse mortuos verisimile est. Institutum ordinem ne interrumpamus, doctus homo accedit hic:

Cordus I, 2. III, 203 sqq. [4]) pauper poeta. cf. Mart. II, 57. V, 23. 27. Publicavit Martialis librum V decimo anno ante [5]) Iuvenalis satiram I.

---

§. 3. Artifices scaenici.

Glaphyrus VI, 74. Floruit iam sub annum 88 vel 90. cf. Mart. IV, 5. Eodem autem tempore in scaena versabatur:

---

[1]) Dodwellus poetae ortum ad annum 61 rettulerat. — [2]) Sunt qui Dodwellum secuti annum 96 poetam egressum esse omnino negent. cf. Duebnerum in editionis praefatione p. 3. — [3]) cf. libri IV epistulam ad Marcellum. — [4]) vulgatur 'Codrus'. Discrepantiae quae utroque loco est librorum ne multum tribuas. Etiam Martialis manuscripti pariter variant, optimi quidem praebent 'Cordus'. Eandem nominis formam Pithoeanus in sat. I exhibet. In tertia autem satira praesertim cum nomen varie scribatur, non diversum hominem notari existimaverim. Sane Cordus supra Theseidem, infra carmina graeca composuisse dicitur, sed graecis litteris valde eum studuisse etiam e priore loco licet conicere. — [5]) De Martialis carminum temporibus sequor Friedlaenderum in progr. laudato a. h. s. LXII.

Pollio VI, 387. VII, 176 quippe qui in eiusdem libri IV epigrammate 61 nominetur.

Thymele I, 36. VI, 66. VIII, 187 mima. Anno 81 vel 84 quantopere populo Romano in deliciis fuerit ostendit Martialis I, 4. Eodem epigrammate celebratur:

Latinus I, 36. VI, 44 archimimus. Scholiastae priore loco haec adnotanti 'Latinus . . . . mimus quasi conscius adulterii Messalinae uxoris Neronis ab ipso occisus est' in mentem venerat aut Paris pantomimus a Domitiano aut Paris histrio a Nerone aut Mnester pantomimus a Claudio interfectus. Latinus etiam anno 95 Domitiano in deliciis erat, ut ratiocinari licet e Martialis epigrammate IX, 28. Quo maioribus ibi laudibus cumulatur, eo magis mirum videbitur, quod in posterioribus Martialis carminibus et quidem eis quae Nerva ac Traiano imperatoribus emissa sunt nomen eius nusquam adparet. Ac si consideras potentem hunc aulicum [1]) in satira Iuvenalis prima nequissimis delatoribus simpliciter adiungi, vix usque ad Traiani aetatem credas eum perduxisse vitam, immo aut mortuus erat aut ita mortui similis, ut sine ulla dubitatione detestabili hominum generi adscribi posset. Massam et Carum, quibuscum Latinus consociatur, iam febri periisse alterum, alterum damnatum fuisse ante Marium Priscum certo scimus.

---

§. 4. **Homines inferiores ac sordidi.**

Aufidius IX, 25 moechus. Longe ante id quo satira scripta est tempus eum corrupisse mulieres adparet e Martialis epigrammate V, 61 qui liber editus est anno 90. Nam in satira IX. quamquam nihil quod certum indicet tempus video, tamen cum Synnerbergio p. 77 argumenti foeditate et toto orationis colore eandem poetae aetatem prodi sentio, ad quam proxime antecedentes satirae pertineant.

Catulla II, 49. X, 322 meretrix, quam sordidam artem exercuisse videtur circa annum 94 risa a Martiale VIII, 53.

---

[1]) cf. Suet. Dom. 15.

Chione III, 136 meretrix. In nullum scortum Martialis saepius invehitur quam in Chionem, vide I, 34, 7. 92, 6. III, 30, 4. 34. 83, 2. 87. 97. XI, 60. Unde eam intra annos 81 et 96 corpore vulgato infamem fuisse discimus; ab hoc autem anno usque ad Isaei rhetoris adventum, cuius in sat. III, 94 mentio fit, aliquot anni praeteriere amplius.

Cosmus VIII, 86 myropola. Inepta certe est scholiastae interpretatio 'Cosmus luxuriosus fuit qui solium in quod descendebat multis diversorumque unguentorum odoribus miscebat'. cf. Mart. I, 87. III, 55. 82, 26. IV, 53. IX, 26. XI, 8, 9. 15, 6. 18, 9. 50, 6. XII, 55, 7. 65, 4. XIV, 59. 110. 146 cuius liber XII cum primo vere anni 101 publicatus sit [1]) etiam tum Cosmum unguentariam exercuisse negari vix poterit, nisi unguenta a celebri quondam myropola tractum nomen diutius servasse statuimus. Utut iudicas, usque ad posteriorem Traiani aetatem quam satirae versus 169 sqq. significant Cosmum pervenisse vivum compertum non est.

Hamillus X, 224 turpissimus pedico anno 93. cf. Mart. VII, 62. Satiram X posterioribus poetae temporibus attribuendum esse omnes consentiunt.

Lycisca VI, 123 lupa. Circa annum 90 Lyciscam male audiisse Martialis IV, 17 auctor est eodemque tempore famosus fuit

Naevolus IX, 1 sqq. cinaedus, cuius perditos mores Martialis castigat IV, 83. cf. III, 71. Accedit denique

Matho I, 32. VII, 129. XI, 34 mediocris pauperque causidicus. A Martiale ter deridetur IV, 79. X, 46. XI, 68 quo loco sub exitum anni 96 etiam in vita fuisse Mathonem docemur. Neque enim ep. X, 46 in altera demum editione quam Nerva imperante prodiisse dixi adiectum esse putatur [2]).

---

b. §. 1. Aula imperatoria.

Beronice VI, 156 soror Agrippae. Titus Vespasianus cum bellum contra Iudaeos gessit, Beronice tricesimum fere annum

---

[1]) cf. Mommsenum l. l. — [2]) cf. Stobbium p. 64 sqq.

excesserat [1]). Paucis annis post cum fratre Romam profecta Titi animum ita pellexit, ut perbrevi illum consuetudine implicatum haberet, sed Titus mox formosae reginae complexus fugiens in Iudaeam abire eam iussit. Unde rediit quidem anno 79, sed a palatii ianua repulsa iterum in patriam revertit [2]). Ubi tum vixeritne etiam plus sexaginta annos nata an fuerit mortua ignoratur.

§. 2. Viri publicis muneribus functi.

Massa I, 35 Baebius potens delator. Idem quod Iuvenalis de Massa iudicium fert Tacitus hist. IV, 50 'Baebius Massa e procuratoribus Africae iam tunc [anno 70] optimo cuique exitiosus et inter caussas malorum quae mox tulimus saepius rediturus'. Cuius intolerabile imperium non solum Afri sed etiam Baetici senserunt, quo factum est ut anno 93 reus factus [3]) Nerva imperante cum legati provinciae Baeticae Plinii fidem implorassent damnaretur [4]); decreverat autem senatus, ut bona eius publice custodirentur. cf. Plin. ep. VII, 33.

Palfurius IV, 53 Sura potentissimus Domitiani aetate delator. Cum morte tyranni concidit etiam illius potentia. Scholiasta 'Palfurius Sura consularis filius sub Nerone luctatus est, post inde a Vespasiano senatu motus transivit ad stoicam sectam, in qua cum praevaleret et eloquentia et artis poeticae gloria, abusus familiaritate Domitiani acerbissime partes delationis exercuit, quo interfecto senatu accusante damnatus est, cum fuissent inter delatores potentes apud Domitianum hi: Armillatus, Demostenes et Latinus archimimus sicut Marius Maximus scribit [5]).

---

[1]) cf. Ewaldium l. l. VII p. 26 adnot. 1. — [2]) cf. Cass. Dion. LXVI, 15 et 18. — [3]) cf. Momsenum p. 40 sqq. — [4]) inde qui fieri potuerit, ut Martialis summus blanditiarum artifex Massam XII, 29 aperte inter fures referret sponte intellegitur. — [5]) quod additamentum omnes ita explicaverunt, ut totam omnino scholiastae adnotationem e Mario Maximo transcriptam censerent. At quoniam laxius quae de aliis delatoribus exponuntur per 'cum' particulam adiuncta sunt (cf. Probi scholion), dubito an Maximi auctoritate praeter extrema haec

Marius Priscus I, 49. VIII, 120. Pro consule rexit Afros eisque accusantibus de repetundis Traiano tertium consule anno 100 damnatus est. Vicit enim sententia 'septingenta milia quae acceperat Marius aerario inferenda, Mario urbe Italiaque interdicendum' [1]). Reliquum tamen habuit teste Iuvenale tantum praedae ut in exilio extra modum heluaretur.

---

§. 3. Viri docti.

Egnatius Celer III, 116 philosophus, Bareae Sorani proditor. Vespasianus ubi imperium nactus est ab amicitiae proditore petiit poenam anno 70. Tac. hist. IV, 40 'repeti inde cognitionem inter Musonium Rufum et Publium Celerem placuit damnatusque Publius et Sorani manibus satisfactum'. cf. scholion ad I, 33. In exilium autem eum eiectum esse Cassius Dio LXII, 26 auctor est.

Isaeus III, 74 sophista Assyrius [2]) qui ut diserti ac facundi hominis exemplum inducitur. Omnium enim oculos eum Romae in se convertisse locupletissimus testis est Plinius ep. II, 3. Quae epistula anno 98 vel subsequente scripta [3]) Romam Isaeum advenisse circiter Traiani initia imperii demonstrat. Per breve autem tantum tempus sophistam Romae esse moratum iure cum e totius epistulae indole ratiocinari posse mihi videor tum hisce ex verbis 'dices: habeo hic quos legam non minus disertos: etiam, sed legendi semper occasio est, audiendi non semper' eisque quae sequuntur in fine 'quae omnia huc tendunt, ut audias Isaeum vel ideo tantum ut audieris'. Iam igitur ut omittam haud paucis annis satiram III post Isaei adventum scribi potuisse [4]) hoc quidem perdubium

---

etiam prior pars nitatur. — [1]) cf. Plin. ep. II, 11. — [2]) cf. Philostratum de vitis sophistarum I, 20 c. 1. — [3]) cf. Mommseuum p. 38 sqq. — [4]) longe autem abest ut Synnerbergii sententiam probem qui p. 66 Iuvenalis verba in Isaeum fortasse nondum Romam profectum cadere statuit. Etenim quid magis est consentaneum quam expertum et quasi oculatum testem Iuvenalem Isaei memoriam repetere? hinc grave illud 'torrentior'.

est, num Isaeus cum Iuvenalis eam scripsit etiam tum Romae versatus sit.

Subiungo tres homines de quibus praeter Iuvenalem litterarum monumenta nihil fere nisi nomina nobis tradiderunt. Sunt autem hi:

Armillatus IV, 53 Palfurii Surae aequalis. Scholiasta quae excerpsisse se dicit e Mario Prisco, ex eis nihil elicies nisi quod didiceris ab ipso Iuvenale, Armillatum apud Domitianum multum valuisse delationibus. Ideoque post fautoris necem Armillatum succubuisse ut Palfurium inimicorum insidiis satis verisimile videtur.

Heliodorus VI, 373 chirurgus. Nil prodest scholion 'medicus illius temporis'. Chirurgum qui laudant medici antiqui, eorum nullus ad nomen adiunxit patriam aut aetatem [1]). Recentiores quidem historiae medicae periti [2]) quod testimonium de eo ante Iuvenalem nemo dixit Traiano imperatore floruisse eum consentiunt aequalem Archigenis. At quando vivere desierit plane incompertum est.

Iuncus XV, 27 consul. Permirum est quod fuere qui vitiosae malorum librorum scripturae 'Iunio' plus fidei haberent [3]) quam optimae ac vetustissimae 'Iunco' [4]). Quidquid enim de Iuvenalis vel vita vel codicibus statuis, bisyllabum 'Iunio' prorsum non est tolerabile. Atqui anno 127 consulatum gessisse demonstravit Borghesius [5]) L. Aemilium Iuncum, cuius nomen inveniretur etiam apud Ulpianum [6]). Borghesii disputationem, quoniam libellum satis rarum necdum repetitum contigit mihi ut adhiberem [7]), paucis comprehen-

---

[1]) Theodorus Lenz de Heliodori veteris chirurgi fragmentis. diss. Gryphiswald. a. 1846 p. 3. — [2]) Sprengelius l. l. p. 126. Heckerus in hist. medic. Berolini 1822 I p. 460. cf. Kuehnii additamenta ad elenchum medicorum veterum a Io. A. Fabricio in bibliotheca graec. vol. XIII p. 17—456 exhibitum. spec. XVI. Lips. 1828 p. 4. — [3]) ut Haeckermannus in libro 'die Exegese C. Fr. Hermanns' inscripto p. 37. — [4]) nullius momenti sunt 'Vinco, Vinio, Iuno' quorum origo manifesta est. — [5]) in epistula iam laudata. — [6]) Dig. XL, 5 l. 28 §. 4. — [7]) contigit autem eximia V. Ill. O. Iahnii benignitate cui lubenter

dam. Apud Ulpianum qui memorantur consules Aemilius Iuncus et Iulius Severus eos prave confuderant cum eorundem fere nominum qui Commodo imperante fuere consulibus, quos detecta Lucillae coniuratione occisos Lampridius [1]) tradidit. At cum Antoninus Pius ad senatus illud consultum, quod Aemilio Iunco et Iulio Severo consulibus factum erat, rescripsisse dicatur [2]) necesse est hos ante id tempus fuisse consules. Iam memorabili casu factum est, ut inventum in Sardinia diploma militare [3]) et Hadrianum tribunicia potestate undecimum fungentem prae se ferret et eas consularium nominum reliquias, e quibus Borghesii acumen nullo negotio eruit 'L. A[em]ilio Iunco Sex. Iulio Severo cos.' Quare consules hos incidisse docemur in annum 127 tumque factum esse et quod Ulpianus commemoravit senatusconsultum et quod Iuvenalis narrat. Neque est quod post hunc annum satiram illam scriptam esse redarguat, immo etiam XIII. satira sub idem tempus composita est. Verba Iuvenalis 'nuper consule Iunco' mortuumne hominem notent an vivum, nec potest decerni neque interest, quoniam Iuncum Iuvenalis nihil aliud quam nominat tanquam in fastis, non vexat.

Caput III. Homines ignoti.

In neutram partem de eis iudicare licet qui plane ignoti sunt, etiamsi vivos eorum ex numero aliquot fuisse non praefracte negaverim. Non pauca autem inveniuntur nomina, quibus non tam singuli certique homines quam totus ordo hominum repraesentari videatur. Itaque in hac parte proferam quae argumenta satirarum ac rerum conexus suppeditant; nomina autem ad litterarum ordinem disponam.

---

hic gratum animum meum profiteor. — [1]) Commod. 4 'interfecta et Vitrasia Faustina et Velius Rufus et Egnatius Capito *consulares*. in exilium autem acti sunt Aemilius Iuncus et Atilius Severus *consules*'. — [2]) Dig. ibid. l. 51 §. 9. — [3]) ediderunt Cardinalis in actis academ. Rom. archaeol. a. h. s. XXXV tom. VI p. 231 et Baillius in actis acad. Taurin. tom. XXXIX.

Acilius IV, 94 pater e consilio Domitiani. De scholio corrupto supra iam egimus. Acquiescendum est in Iuvenalis testimonio, Acilium ad summam senectutem provectum anno 85 in consilio principis fuisse. Nam ne illud quidem, quod Imhofius [1]) nobis persuadere voluit, patrem iam Neroniano aevo consulis munere functum esse satis constat [2]).

Acne VI, 70. Pithoeani scriptura 'subligar acne' aperte corrupta est. Poeta ut colligimus ex adiectis nominibus thyrsi et subligaris cogitasse videtur de partibus quibusdam fabulae ex historia Bacchi petitae [3]). Desideratur igitur nomen aut personae in illa fabula inductae aut histrionis illas partes agentis [4]). Itaque deteriorum codicum lectio 'Acci' quae e Pithoeani correctura 'actu' emanasse putanda est huic loco non convenit. Placet vero Ribbeckii [5]) ingeniosa coniectura 'Hagni' (quod nomen extat apud Gruterum p. 581, 6) quoniam ad Pithoeani scripturam proxime accedit aliique artifices scaenici et superius et inferius enumerantur. Is quidem Hagnus mulieribus tantopere in deliciis fuisse dicitur ut clausis theatris thyrsum eius et subligar manibus tenerent.

Aelia VII, 71. Quamlibet significari puta pauperem mulierem histrionis atellanici amplexu contentam. Nam Aelia gens paupertatis patientia fuit insignis. Val. Max. IV, 4, 8 'quid Aelia familia quam locuples? sedecim eodem tempore Aelii fuerunt, quibus una domuncula erat eodem loci, quo nunc sunt Mariana monumenta et unus in agro Veiente fundus minus multos cultores desiderans quam dominos habebat' eqs.

Aemilius V, 64 quivis causidicus nobili loco ortus. Opponitur tenuioribus causidicis, quibus meritum praemium non

---

[1]) in libro de T. Flavio Domitiano p. 76. — [2]) cf. Preunerum in Pauli encycl. I² p. 113 n. 7. — [3]) cf. Friedlaenderum in indice lect. Regim. a. h. s. LIX. — [4]) ita num iam scholiasta senserit interpretans 'vestem tragoedi' parum liquet. — [5]) in mus. rhenano XIII p. 150, quo quidem loco Ribbeckius scribere maluerat 'hagnae', cui voci 'tristes' quasi interpretamentum superscriptum esset, damnato versu 69 praesertim cum ludos et consulares et Palatinos inter plebeios et Megalesia intercessisse constaret, attamen Friedlaendero adsentior istam coniecturam spernendam esse.

persolvitur. Mea opinione in universum poeta de iurisconsultis disputat usque ad versum 129, deinde ad singula transit exempla. Docemur autem quantum tunc Romani si quem defensorem sibi adoptabant gentis eius ac vitae splendori tribuerint.

Albina III, 130 dives nobilisque vidua ab heredipetis pressa. Cognomen gentis Postumiae proprium erat.

Alledius V, 118 ganeo qui quanta existat rei frumentariae inopia nihil curat, dummodo tubera gignantur imbribus. Eiusdem nominis eques Romanus apud Tacitum ann. XII, 7 memoratur.

Ambrosius VI, 77 choraules. Agitur de impuro mulierum in scaenicos amore.

Antiochus III, 98 histrio ut videtur celeberrimus, nam confertur cum Demetrio comoedo.

Apula VI, 64 simplex puella lasciviis vitae urbanae nondum imbuta. Simillime paullo infra v. 167 Venusina feminis urbanis opponitur, unde Apulas etiam tum bene audisse liquet. cf. Hor. epod. 2, 42.

Artorius III, 29. Scholiasta qui adnotavit 'per Artorium et Catulum ignobiles et sordidos et malis artibus viventes homines vult intelligi, qui ex sordidis rebus divites sunt facti' sententiam non penitus perspexisse putandus est. Mihi quidem Iuvenalis sordidos nobiles et ignobiles perstringere videtur, ex illis Catulum, ex his Artorium eligens. Nomen Artorium saepenumero legitur in inscriptionibus apud Gruterum, Mommsenum [1]), Renerium (les inscriptions de l'Algérie).

Arviragus IV, 127 regulus Britannorum. De rebus post Agricolam in Britannia gestis prope nihil notum est, incidit autem id in quo Veiento Arviragum Romanorum armis cessurum esse vaticinatur concilium in idem fere tempus, quo Agricola redux factus est [2]).

Asturicus III, 211. Scholiastae nota 'Asturici nobilis senatoris' non satis liquet versuum contextu nitatur nec ne. Certe non est dubium, quin Asturicus pro homine nobili po-

---

[1]) ubi nihil adposui, intellegas inscriptiones regni Neapolitani. — [2]) cf. Imhofium l. l. p. 45 sqq.

natur nec minus manifestum, proprium id cognomen eius esse qui in Asturia res bene gesserit. Asturicum noli cum Mansone [1]) eundem ducere atque Persicum. cf. v. 221. Primum enim repugnat comparatio 'meliora ac plura reponit' quae si ad pauperem poetam refferretur nullo modo sublevatum prorsus inepta foret, deinde illud 'orborum lautissimus [2]) unde transitum ad alium hominem fieri satis elucet. Verum Persicum et ipsum nobilis viri loco nominari cum in aperto est, tum intellexit scholiasta 'Persicum quasi divitem ponit eo quod Persae divites' eqs.

Asylus VI, 267 gladiator. Eius uxor, inquit poeta, non eo progreditur quo generosae feminae, ut in arenam descendat.

Atticus XI, 1. Scholiasta sic 'nunc poeta nomina duo posuit cum de generalitate loquatur, per Atticum vero divitem vult intelligi quemlibet, per Rutilum autem pauperem, quem dementem ideo dixit, quia in divitibus quae humanitas dicitur haec in paupertate dementia habetur'.

Aurelia V, 98. Scholiasta qui sic explicat 'quaedam mulier quae distrahebat pisces' lanquidam efficit sententiam. Recte interpretes divitem matronam intellegunt tot muneribus cumulatam a captatoribus, ut vendere ea possit. Eiusdem matronae num Plinius ep. II, 20 meminerit, vix decernas praesertim cum nomen nullum tritius fuerit.

Basilus VII, 146 probus pauperque causidicus.

X, 222 homo fraudulentus. Cave ne scholiastae verbis 'advocatum illo tempore praevaricatorem' deceptus hunc Basilum cum illo confundas. Namque hic sermo est de homine perfido, illic de bonis probisque causidicis. Scholiasta duos locos voluisse videtur consociare.

Bibula VI, 142 in earum mulierum numero habetur, quae ob solam pulchritudinem amentur. Bibulae amore arsisse dicitur Sertorius. Nomen utrumque frequens est.

---

[1]) cf. Rupertii comm. p. 150. — [2]) quae verba perperam Heinrichius p. 159 sic interpretatur 'von denen die das Ihrige verloren haben' eqs.

Caedicius XIII, 197 poenarum inventor. Apud scholiastam haec legimus 'Caedicum aulicum Neronis crudelissimum fuisse vult intelligi satellitem Neronis'. Quibus si fidem habemus — nihil autem est quod obstet — certe Caedicius ille qui XVI, 46 nominatur, facundus causidicus vel iudex, alius est. De nominis forma cf. C. I. L. I n. 752 et I. N. 4065. 6852. 4157.

Calvina III, 133 nobilis femina, cuius divitibus facilis erat usus. Scholiastae nota 'praetoris cuiusdam soror, quae se occidit tanquam infamis in fratre temporibus Claudii' Weberus adductus esse videtur, ut de Iunia Calvina cogitaret Silani sorore quae a Tacito ann. XII, 4 'decora et procax' vocatur. Sed in medio hoc relinquendum erit eo magis quod non Calvinam Tacitus, sed Silanum mortem sibi conscivisse auctor est.

Calvinus XIII, 1 sqq. Consolatur Iuvenalis nescio quem senem (cf. v. 17) qui argento deposito circumventus calamitatem graviter ferebat.

Camerini VII, 90 quamlibet intellegas nobilem gentem liberalitate insignem. Similiter in sat. VIII, 38 Camerinus pro quovis homine nobili nec tamen maioribus digno ponitur. Fortasse ille est Camerinus, de quo Tacitus XIII, 52 'reos ex provincia Africa, qui proconsulare imperium illic habuerant, Sulpicium Camerinum et Pompeium Silanum absolvit Caesar [Nero], Camerinum adversus privatos et paucos saevitiae magis quam captarum pecuniarum crimina obicientes'.

Carfinia II, 69 moecha. Non tam feminas perditis moribus esse quam viros Carfiniae exemplo poeta probare studet. De nomine cf. Mommsenum 1038, Gruterum p. 960, 3 et p. 241.

Carpophorus VI, 199 histrio, qui amatoris partes egisse videtur. Nomen legitur apud Mommsenum 546. 635 (III, 13).

Catiena III, 133 nobilis femina Calvinae similis. Pithoeani scriptura 'Catiena' defenditur titulo Mommseniano 6964.

Catulus III, 30 vide de Artorio dicta p. 44.

Catullus VIII, 186. XIII, 111 sqq. mimorum scriptor. De mimis eius quorum nomina Iuvenalis prodidit, Rib-

beckius [1]) satis dixit. Laureolus mimus quoniam imperante Caligula actus est [2]) concidit priorum [3]) opinio Catullum aetate vixisse Iuvenalis.

XII, 37 unus ex Iuvenalis et Corvini amicis, qui e naufragio evasisse dicitur.

Celadus VII, 215 tenuioris sortis grammaticus. Idem nomen exhibet Gruterus p. 581, 1. 596, 2. 1034, 1.

Censennia VI, 136. Inter divites mulieres refertur, quibus mariti ob grandem acceptam dotem multa indulgent. Nomen igitur quod alibi non repperi fortasse derivatum est a censu, cf. Teuffelium p. 214.

Chaerippus VIII, 90. Ex sententia universa eum Capitonis Cossutiani accusatorem [4]) fuisse fit verisimillimum atque ita versus scholiasta iam explicavit. Quamquam Webero (p. 469) concedo, posse Chaerippi nomine quemlibet denotari Cilicem. Plane vero futilis est Grangaei explicatio [5]) 'Cilicis nomen fictitium quod Cilices ut plurimnm equis gaudent'.

Chrysogonus VI, 74. VII, 176 cantor insignis. Illo loco inferioris condicionis opponitur histrioni quem pauper mulier diligit, hoc loco cantandi studiosos magno pretio docere dicitur.

Cilix IV, 121 gladiator, cuius pugnas Catullum Messalinum laudasse audimus.

Cluvia II, 49 lupa. Nomen frequens est.

Cluvienus I, 80 malus poeta. Aequiparat Iuvenalis sua carmina carminibus Cluvieni, utpote quem non natura ad pangendos versus impulerit. Et talis quidem comparatio qualis oblique alios perstringit satirae omnino propria est. cf. Hor. sat. I, 1, 120.

Coranus XVI, 54 miles quem ad bellum proficiscentem ne pater quidem dubitat captare. Hanc narratiunculam Heinrichius p. 538 ex Horatio (sat. II, 5, 55 sqq.) depromptam censet, ubi Tiresias sic 'plerumque recoctus scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem captatorque dabit risus Nasica Corano'. Quod ut Ulixes non intellexit, Tiresias inde a versu 64 sic pergit 'forti nubet procera Corano filia Nasicae,

---

[1]) poet. latin. comic. reliq. p. 309 sqq. — [2]) cf. Suet. Calig. 57. — [3]) ut Baehrii in litt. Rom. hist. I³ p. 203. — [4]) cf. Quintil. VI, 1, 14. — [5]) quae legitur apud Rupertium in comm. p. 476.

metuentis reddere soldum. tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit atque ut legat orabit, multum Nasica negatas accipiet tandem et tacitus leget invenietque nil sibi legatum praeter plorare suisque'. Duo ibi homines interpretibus inducti videntur recte: Nasica socer eiusque gener Coranus, qui v. 56 scriba vocatur. Heinrichius autem Coranum alium esse ratus atque scribam eo audaciae processit, ut in satira Iuvenaliana v. 56 pro 'pater' substitueret 'socer'. At male intellexit Horatium. Ut enim omittam, Ulixi illis versibus tantummodo explanari de Corano et Nasica, 'fortis' epitheton Corano adiectum sic ut 'procera' filiae Nasicae festivitatis caussa non impedit quominus scriba et Coranus idem habeatur [1]). Itaque certe fabula ista alia est, licet nomen ab Horatio sumptum credatur.

Corinthus VIII, 197 mimus qui stupidi partes egit, videtur egisse maritum uxoris fallaciis elusum.

Corvinus I, 108 homo nobilis ad inopiam redactus. Extenuatum revera fuisse Corvinorum censum Tacitus XIII, 34 auctor est, qui tamen ex eis notetur in medio relinquendum est.

XII, 1 Iuvenalis amicus ad quem ea satira scripta est, vide *Catullus* p. 47.

Corydon IX, 102. Recte scholiasta 'o stulte'. Nam alloquitur poeta Naevolum draucum, Corydon autem persona est Vergiliana. cf. bucol. ecl. II, 69 'a Corydon, Corydon quae te dementia cepit?'

Cossus III, 184 quilibet vir primarius. Idem nomen sat. VIII, 21 virtutis exemplum. cf. de Gaetulico dicta p. 17. X, 202 heredipeta ut videtur vilissimus.

Crepereius Pollio IX, 7 quamvis triplicem praestare usuram paratus nusquam tamen pecuniam accepisse dicitur. In eundem aptissime quadrat res sat. XI, 42 sqq. paucis comprehensa 'talibus a dominis post cuncta novissimus exit anulus et digito mendicat Pollio nudo'.

Creticus II, 67 sqq. VIII, 38. Scholiasta haesitanter 'hoc nomine vel quemlibet nobilem significat vel Iulium Creticum,

---

[1]) cf. Heindorfium ad l. l.

qui sub Caesaribus inlustres causas egit'. De Iulio Cretico nihil inveni memoriae proditum vereorque ne illa ex ipso carmine originem duxerint propter ambiguam temporis significationem 'sub Caesaribus'. Tantum luce clarius est, virum aliquem describi maioribus indignum.

Cretonius XIV, 86 sqq. aedificator. Quid mirum, inquit Iuvenalis, si Cretonii filius pecuniam hereditate acceptam totam in exstruendis villis consumpsit, cum pater nimio aedificandi studio deditus fuerit.

Curtius XI, 34 mediocris causidicus, rabula et latrator.

Cyane VIII, 162. Scholiasta optime 'nomen tabernariae pro qualibet. scortum'. Eodem nomine nympha erat (Ovidius met. V, 412).

Damasippus VIII, 185 ex helluone mimus, clamosi Phasmatis [1]) actor. Eiusdem nominis homo prodigus notus est ex Horatio sat. II, 3. Praeterea in gente Licinia id cognomen reperitur. cf. Orellii Onom. Tull. II p. 350.

Diphilus III, 120 Graeculus. Acerbissime poeta in Diphilum similesque invehitur, qui nobilissimos homines vernilibus blanditiis devincientes Romanis favere vetant. Quae sententia sic exprimitur 'Protogenes aliquis vel Diphilus aut Hermarchus, qui gentis vitio nunquam partitur amicum, solus habet' eqs. Pronomen 'aliquis' quid valeat optime docet Cicero Philipp. II, 6, 15 'hodie non descendit Antonius. Cur? dat nataliciam in hortis. Cui? neminem nominabo: putate tum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum etiam Ballioni'. Item hic non ipsi Protogenes, Diphilus, Hermarchus notantur, sed similes illorum Graeci, id est artifices et docti homines in quo genere Diphili et Hermarchi et Protogenis nomina perquam usitata fuisse res est notissima [2]). Potueris igitur pictorem aliquem vel comoedum vel philosophum Graecum intellegere.

Drusus VII, 21 verae nobilitatis exemplum, fortasse Augusti privignus egregie de republica meritus. cf. Hor. carm. IV, 4.

---

[1]) clamosum dicitur magis propter eorum qui mostellum fugiunt quam propter praeconis partes. cf. Ribbeckium l. l. — [2]) in hanc sententiam iam incidisse videtur Heinrichius qui p. 143 Protogenem grammaticum intellegi vult nullo prolato argumento.

Echion VI, 76 citharoedus, nobilium mulierum amasius.

Eppia VI, 82 sqq. senatoris uxor, quae cum Sergio gladiatore in Aegyptum aufugisse narratur. E versu 112 nequaquam efficitur Veientonem deformem eius maritum fuisse, etiamsi Eppia versu 82 senatori nupta fuisse dicitur et aliquando adnotatum est[1]) 'Veiento senator, maritus contemptus'. Miror autem quod Heinrichius hanc narrationem e Ciceronis Philippicis II, 25, 62 fluxisse censet. Nulla enim Ciceroniani loci, ubi de drauco homine, non de femina agitur, cum hoc est similitudo acceditque Ciceroni testis Plutarchus Anton. 9 *λέγεται γοῦν ὡς ἐν Ἱππίου ποτὲ τοῦ μίμου γάμοις ἑστιαθεὶς καὶ πιὼν διὰ νυκτὸς εἶτα πρωῒ τοῦ δήμου καλοῦντος εἰς ἀγορὰν προελθὼν ἔτι τροφῆς μεστὸς ἐμέσειεν* eqs. Praeterea Pithoeanus non 'Hippia' sed 'Eppia' exhibet, quod nomen tuentur tituli apud Mommsenum 1317. 6992. 1173.

Euryalus VI, 81 myrmillo nobilium mulierum amasius.

Fabii VIII, 191 cum Mamercis componuntur ut patricii, quos non pudeat in scaenam prodire mimos.

VIII, 14 Fabius Allobrogicus. Si versum 16 accuratius inspexeris, a Iuvenale eundem Fabium carpi suspicaberis atque a Seneca de benef. II, 7 'quid nuper Fabium Persicum, cuius osculum etiam impudici devitabant, sacerdotem non in uno collegio fecit nisi Verrucosi et Allobrogici et illi trecenti qui hostium incursioni pro republica unam domum obiecerant! At iam multo ante inter maiores exstiterat qui malum exemplum praeberet. Val. Max. III, 5, 2 'age Q. Fabii Maximi Allobrogici [cos a. urbis 633] filius Q. Fabius Maximus quam perditam vitam luxuria egit, cuius ut cetera flagitia oblitterentur, tamen abunde illo dedecore mores nudari possunt, quod ei Q. Pompeius praetor urbanus paternis bonis interdixit'. Incertum igitur est, utrius Fabii Iuvenalis meminerit.

Faesidius XIII, 32 mediocris causidicus cuius actionem clientes sportulae caussa plausu prosequebantur.

---

[1]) vide Heinrichium p. 207.

Faustus VII, 12 poeta. Conquestus Iuvenalis, quod sua aetate nemo existat poetarum fautor, illis suadet, ut vendant tripodes, cistas 'Alcithoeu Pacci, Thebas et Terea Fausti'. Sobrie iudicavit scholiasta 'nomina fabularum et malorum poetarum, qui eas fabulas scripserunt'. Nam Fausto et Paccio ipsis non contigisse videtur ut carmina venderent. Thebais et Tereus nota sunt tragoediarum argumenta.

Flora II, 49 scortum.

Fronto I, 17 poetarum fautor qui hortos recitantibus patefecit. Fronto orator ad M. Caesarem I, 8 p. 23 Naber 'tu dicas Marce quemadmodum tibi videtur fabula Polemonis descripta. plane multum mihi facetiarum contulit istic Horatius Flaccus memorabilis poeta mihique propter Maecenatem ac Maecenatianos hortos meos non alienus [1]). Hunc tamen Frontonem a Iuvenale significari [2]) incredibile est ut qui neque ante Hadriani imperium, postquam sero litteris operam dare coeperat, inclaruerit et ad ampliorem dignitatem pervenerit neque ante a. 166 diem obierit [3]), denique aetate et fama inferior fuerit quam quem prima Iuvenalis satira praedicaret. Itaque cum Buttmanno (ad Frontonis l. l.) et Webero l. l. alium Frontonem intellego natu maiorem. Atque iam antea fuisse eodem nomine hominem poetarum amicum abunde Martialis I, 55 demonstrat.

Fuscinus ad quem scripta est satira XIV de malis parentum exemplis.

Fuscus XII, 45 ebriosae mulieris maritus. Cui cum Domitiani convictore (cf. IV, 111) aut causidico Caedicii collega (cf. XVI, 46) num ulla sit communio nescimus.

Galla I, 125 clientis uxor.

Gallitta [4]) XII, 99 sqq. locuples vidua a captatoribus expetita.

Gallius cui scripta est sat. XVI. Pithoeani scripturam 'Galli' immerito Iahnius deseruit, stultius alii nomen illud

---

[1]) Eo spectat scholion 'in Oratiana domo, in qua poetae recitabant'. — [2]) cuius sententiae Franckium auctorem Weberus p. 240 dicit. — [3]) cf. Niebuhrii praef. p. XX sqq. et Naberi proll. p. XX et XXX. — [4]) duplici 't' littera scribendum est. cf. O. Iahnium in Herma III p. 190 sqq. qui similiter exeuntia nomina composuit.

latinum fuisse negarunt, scilicet ignorantes orationis a Cicerone pro Q. Gallio habitae. Satira XVI militum privilegia cum exponantur nescio an rei militaris Gallium osorem fuisse arbitremur.

Gallus VII, 144 probus pauperque causidicus.

Gillo I, 40 cum Proculeio eis sordidis hominibus adnumeratur qui turpi mulieris amori bona sua debeant. Neutrum nomen ad certos homines referendum esse Heinrichius p. 47 et Haeckermannus p. 35 consentiunt. Gillones erant in gente Fulvia. cf. Livium XXX, 21.

Gracchus II, 117. VIII, 199 homo nobilissimus Salius. Maioribus tam indignum se praestitisse dicitur, ut mulieris instar viro nuberet palamque nuptiarum sollemnia celebraret. Post poeta sic pergit 'vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi' eqs. quae verba cum Ribbeckio [1]) interpolata esse statuo. Primum enim offendit, quod versu 143 ubi ad aliam novamque rem videtur transiri, Gracchi nomen repetitur; sed hoc gravius est quod a versu 143 ad 149 exposita prorsus aliena sunt a totius satirae argumento qua illi tantum castigantur qui in secreto libidinose ac molliter vivant; quid igitur ad rem gladiator? Praeterea sententia, qua nullam invenias simpliciorem, dilatatur duobus versibus et quinquies particula copulativa repetitur, unde iam Hermannus ac novissime Iahnius [2]) 'et Marcellis — minoribus' deletum ibant. Demptis istis versibus omnia inter se apta videntur, versibus 141 sqq. orientis religioni poeta Romanam opponit utramque irridens pergitque contemptim de re divina loqui versu 149. Haec non vereor ne refutari dicas scholiastae ad v. 148 adnotatione 'quia et Gracchus munere Neronis pugnavit'. Nam qui ad antecedentia 'his licet ipsum' eqs. adscriptum viderit 'nobilibus Neronem, nam Nero et ipse pugnavit' is scholiastam ipsum illa commentum esse concedet aut sumpsisse e sat. VIII, 193. Hic autem locus alteri illi consimilis est.

Haemus III, 99. VI, 198 histrio natione Graecus. Nisi omnia me fallunt mulierum et amatorum partes actitabat.

---

[1]) Der echte Juvenal p. 104 sqq. — [2]) Persii, Iuvenalis, Sulpiciae satirae. Lips. 1868.

Hedymeles VI, 384. Scholion 'hic citharoedus fuit' nihil novi adfert. Addemus eum mulieribus in deliciis fuisse.

Hermarchus III, 120. cf. de Diphilo dicta p. 49.

Hiberina VI, 53. Optimo iure Weberus (p. 378) Rupertio p. 254 Hiberinam Postumi sponsam fuisse opinato adversatur. Iuvenalem ab honestate atque urbanitate adeo remotum fuisse ut Postumi sponsam plane inter meretrices recenseret quis credet? Immo Hiberinam apparet ut urbanam puellam unam opponi ruri viventi.

Hirrus X, 222 tutor fraudulentus.

Hispo II, 50 pathicus et pedico. De nomine cf. Gruterum p. 597, 1.

Hispulla VI, 74 generosa divesque mulier tragoedi cupida, opponitur Aeliae pauperi atellanici histrionis amicae. Num eadem matrona XII, 11 significetur dubium est, ut acquiescere nos oporteat in scholio 'Hispulla pinguis fuit'.

Hister II, 58. Scholiasta sententiam recte circumscribit his verbis 'Hister quidam infamis qui omne patrimonium suum vivus donavit uxori ob hanc scilicet caussam, ut simul dormiret is, qui et illum corrumperet et illi misceretur'. Versus ipsos si inspexeris, miraberis quod plerique interpretes Histrum cum Istro Pacuvio XII, 111 confuderunt.

Lacerna VII, 114 auriga factionis russatae. Ex ipso vocabulo quemlibet aurigam notari colligas. Hinc autem discimus aurigas multo maiorem fecisse quaestum quam causidicos [1]).

Laelius XIV, 195 secundum scholiastam centurio.

Laenas V, 98 heredipeta qui captabat Aureliam. De nomine cf. Mommsenum 5501.

'*quaedam de numero Lamiarum*' VI, 385 Pollionis cantoris fautrix tanto eius amore flagrans, ut pro victoria in certamine Capitolino impetranda sacra faceret. Scholiasta quamvis intellegi iubet nobilem feminam. At exeunte versu cum Iahnius scholiastae auctoritate fretus iure restituerit 'nominis

---

[1]) Noli tamen putare russatam et albatam factionem plus valuisse quam prasinam et venetam. cf. Reimarum ad Cass. Dion. LXI, 6 (§. 42).

Appi' [1]), necesse est mulierem fuisse simul Lamiarum et Appiorum necessariam, fortasse Claudiam nuptam Lamiae alicui.

Rubrenus Lappa VII, 72 pauper tragoediarum scriptor, qui extitisse videtur inter Vergilium et Lucanum. Nam in enumerandis poetis temporum ordo observatur. Lappae paupertas sic describitur 'cuius et alveolos et laenam pignerat Atreus'. Publicaturus igitur tragoediam aes alienum contraxerat aut res suas oppignerare coactus erat.

Larga XIV, 25 adultera, suae ipsius filiae corruptrix. Larga nomen est gentis Scriboniae.

Laronia II, 36 sqq. Rupertio p. 74 mirifice visa est mulier impudica describi. Non laudans Laronia inducitur genus muliebre, sed defendens contra viros libidinibus obnoxios. Idem nomen, vix eadem mulier memoratur apud Martialem II, 32. Nihil enim in epigrammate inest quo rigidi censoris vice fungens matrona cognoscatur.

Lentulus VI, 80 vir generosus.

VIII, 187 nobilis histrio, Laureoli actor. Lentulum prave Grysarus [2]) statuit Laureoli et actorem et poetam fuisse mimi, 'nobilis' epitheto ad artem potius relato quam ad genus. Cui Ribbeckius [3]) bene obiecit iam Caligulae aetate actum fuisse Laureolum obeamque caussam tum cum Iuvenalis scripsit Lentulum senem plus quam octogenarium non potuisse velocis servi partibus satisfacere. Nobilitatem autem ad genus spectare e versu 188 adparet.

Lyde II, 141 unguentaria vel venefica. Scholiastae nota aperte inepta est. Facete Lyden Iuvenalis turgidam dicit i. e. praegnantem, quod cum agili luperco componitur [4]), Asianae Graecae superstitiones cum religione Romana. De nomine cf. vel Horatii carmina vel Gruterum p. 719, 9 et Mommsenum 5662. 6837.

Machaera VII, 9 bonae condicionis praeco [5]). Heinri-

---

[1]) in deterioribus codicibus 'alti' legitur. — [2]) in comment. acad. Vindob. XII a. 1854. — [3]) poet. comic. reliq. l. l. — [4]) falsa est Haeckermanni p. 202 interpretatio 'unappetitlich aussehende Frau'. — [5]) cf. Mart. V, 56, 7 sqq.

chius p. 289 sine ulla caussa substitui voluit 'Magiri' contra Pithoeani auctoritatem firmatam titulo Mommseniano 5233.

Mamerci VIII, 192 patricii qui histrioniam exercent.

Manilia VI, 242 litigiosa femina. Sunt qui de Gellii [1]) Manilia cogitaverint, qui cum ream fuisse tantum ac se defendisse Maniliam narret, non adsentimur illis; accedit quod Gelliana Manilia meretrix fuit, quale exemplum hoc loco non exspectatur.

Maura VI, 307. X, 224 turpis mulier. Utrobique cum impudicae feminae partes agat, eandem moecham intellegere non prohibemur. Sat. VI Mauram esse plebeiam, patriciam Tulliam Madvigio [2]) concedere possis, nisi potius cum Iahnio versum 307 deleveris; certe quo versus 307 et 308 in optimis codicibus positi sunt ordo ferri non potest.

Medullina VI, 322 matrona obscoenis artibus exercitata. Probus Medullinam Claudii sponsam confundit cum duabus Messalinis [3]). Unamquamque castigari incestam matronam Teuffelius p. 219 statuit. Medullinae nomen in gente Furia erat usitatum.

Mevia I, 22 virago venatrix. Quod Heinrichius eiusdem mentionem a Martiale VII, 58 iniectam esse suspicatur, qui Gallam vocat, id mihi absurdum videtur. Tales enim tum mulieres plus quam una fuere [4]), nomen Meviae vel Maeviae perfrequens est.

Modia III, 130 locuples vidua. Nomen non rarum.

Mycale V, 141 clientis uxor. De nomine tracto a promontorio vel monte cf. IX, 4. Cum scholiasta Pithoeani scripturam 'Mygale' mirifice explicare posse sibi visus est Haeckermannus p. 284.

Natta VIII, 95 provincialium vexator. Nattae ac Pansae nomina si non ficta sunt, Ciliciam spoliasse eos putabimus. Nattae cognomen e gente Pinaria, Pansae e Vibia petitum est. cf. Orelli Onom. Tull. II p. 459. ibid. p. 645.

Novius XII, 111 heredipeta cum Istro Pacuvio coniunctus, quem tamen maiorem fuisse blanditiarum artificem quam Novium comperimus. Novios iam Horatius risit sat. I, 6, 121.

---

[1]) N. A. IV, 14. — [2]) opp. II p. 197. — [3]) cf. Suet. Claud. 26 Ner. 35. — [4]) cf. Stat. silv. I, 6, 53 sqq.

Numitor VII, 74 avarus patronus. Amicae munera mittit, non levat famen Rubreni Lappae pauperis amici. Nomen repetitur VIII, 93 ubi Numitor cum Cossutiano Capitone (anno 58) Cilices diripuisse dicitur, fortasse idem cum illo Numitore, cum Lappa eodem tempore vixisse videatur.

Ogulnia VI, 352 mulier prodiga, quae suis consumptis opibus alienis bonis gloriatur.

Oppia X, 220. 322 famosa adultera. Utrobique eadem fere est scripturae discrepantia 'Oppia Vppia Ippia Hippia', verum 'Oppia' a Pithoeano et scholiastae lemmate firmatur.

Paccius VII, 12 malus poeta qui Alcithoen scripsit. cf. de Fausto dicta. Male 'Bacchi' librarii correxere fortasse 'Thebas' voce decepti. Nota et contestata sunt nomina Pacius Paccius Paquius Pacuius.

Pacius XII, 99 homo orbus a captatoribus circumdatus. Fuere qui codicibus deterioribus nixi hunc Pacium inepte eundem facerent atque Paccium poetam. Obstat enim non modo forma nominis a Pithoeano tradita sed maxime quod hic locuples homo, illic pauper describitur.

Pacuvius Ister XII, 112 heredipeta. cf. de Novio dicta.

Pansa VIII, 90 provinciae direptor, vide *Natta*.

Parthenius XII, 47. Acquiescendum est in scholio 'celatoris nomen' cum Parthenius utrum Caesarum an Philippi Macedonum regis fuerit aequalis non liqueat. Futilis autem est Heinrichii opinio, Parthenii nomine quemlibet significari hominem Samo oriundum. cf. Weberum p. 558.

Paulus VII, 143 causidicus famae et quaestus caussa magnificentiae studiosus.

Peribomius II, 16 cinaedus manifestarius. Scholiasta qui adnotavit 'nomen archigalli cinedi quem magulum conspurcatum dicimus, qui publice impudicitiam professus est' fortasse περιβώμιος vocabulo permotus est ut sacerdotem fingeret.

Persicus III, 221. cf. de Asturico dicta.

XI, 57 Persicum Iuvenalis ad cenam invitans cum Hercule aut Aenea comparat.

Pedo VII, 129 causidicus qui quaestus caussa luxuriosus rem familiarem conturbavit.

Pollittae II, 68 impurae feminee.

Pompeius IV, 110 e consilio Domitiani, perniciosus delator.

Ponticus VIII, 1 sqq. ad quem poeta nobilitatem nullam esse scribit nisi virtutibus meritisque munitam.

Postumus VI, 21 sqq. exemplum ut videtur sponsi eiusve qui uxorem vult ducere. Hunc ut internoscas ab Ursidio, cuius nomen v. 38 et 42 insertum est, Postumus ubique (v. 21. 28. 377) adpellatur vocandi casu, Ursidius nusquam ac v. 41 Postumus aliique Ursidio opponuntur. Omnis denique scrupulus additamento illo 'moechorum notissimus' evellitur.

Proculeius I, 40. cf. de Gillone dicta p. 52.

Proculae II, 68 feminae impurae.

III, 203 aut Cordi poetae uxor aut pumilionis exemplum.

Protogenes III, 120 vide *Diphilus* p. 49.

Psecas IV, 491 serva ornatrix a domina vexata. Caelius in Ciceronis ep. VIII, 15, 2 Psecade natum tanquam serva Bellienum Caesari Venere prognato opponit.

Ravola IX, 4 simulatae virtutis exemplum. Scholiasta etymologiam 'a facto' aucupatur, narratur autem Ravola praeter exspectationem turpis convictus esse cum Rhodope consuetudinis.

Rhodope ibid scortum. Rupertius p. 510 cum vetustioribus interpretibus nomen ductum censet a meretrice apud Herodotum II, 134 sqq. descripta; at illa nominatur *Ῥοδῶπις*.

Rubellius Blandus VIII, 39 sqq. Optimorum codicum lectio 'Blande' incerta fieri videtur versu 42, ubi Rubellius materna origine gloriatus fertur. Nam ex Iulia Drusi filia non Blandum [1]), sed Plautum genitum esse Tacitus ann. XIV, 22 auctor est. Itaque huius nomen reponendum esse Lipsius [2]) iam coniecit. Quamquam dubito num recte coniecerit, cum Tacitea morum descriptio ab Iuvenalis testimonio longius recedat, etiamsi v. 71 'haec satis ad iuvenem, quem nobis fama superbum tradit' ipsius testimonium paululum extenuatur.

---

[1]) Blandus Plauti pater Iuliae fuit coniux. cf. Tac. ann. VI, 27. — [2]) ad Tac. ib. XIII, 19.

Potest tamen ut Blandi notans nepotem [1]) maternam originem poeta cum patris miscuerit.

Rufus VII, 213 sqq. rhetor. Scholion 'qui Gallus fuit et valde disertus' ni omnia fallunt e versu 214 'quem totiens Ciceronem Allobroga dixit' emanavit confirmatque Pithoeani lectionem 'quem'. Ac revera insulsa evaderet sententia, si de misera rhetorum condicione locutus poeta postremo adderet 'Rufum qui Ciceronem Allobroga dixit'. Alii [2]) Q. Curtium vel Vibium, alii [3]) Satrium Rufum intellegi volunt, e quibus coniecturis nulla habet quo commendetur. Satrius quidem eodem quo Plinius tempore publici oratoris munere functus est [4]), hic autem malae fortunae rhetor inducitur, qui cum nimiam habuisse videretur sui existimationem, discipulis fuit ludibrio.

Rutila X, 294 deformis puellae exemplum.

Rutilus XI, 2. cf. de Attico dicta.

XIV, 18 dominus in servos crudeliter saeviens.

Saufeia VI, 320 impura matrona nobilis.

IX, 117 ebriosa sacerdos. Quae VI, 320 de incesta narrantur, ea licet quidem ad hanc referre Saufeiam, sed aperte falsa est Weberi (p. 407) sententia, etiam illic depingi sacerdotem. Nam de praemio agi proposito versus 321 clare ostendit. Eiusdem nominis publicum scortum insectatur Martialis III, 72.

Seius IV, 13 quilibet homo probus. Seius et Titius sexcenties a iurisconsultis ut Romanorum exempla nominantur.

Seleucus X, 211 citharoedus veste superbior ut videtur quam arte nobilior; nam poeta sic 'nam quae cantante voluptas, sit licet eximius, citharoedo sitve Seleucus et quibus aurata mos est fulgere lacerna'.

Sergius VI, 105 sqq. gladiator rudiarius. cf. de Eppia dicta p. 50.

Sertorius VI, 142 Bibulae amator.

Servilia X, 319 turpis matrona, ut videtur deformis.

---

[1]) cf. Tac. XIV, 59, Haakhium in Pauli encycl. VI, 1 p. 555 n. 5. — [2]) ut Baehrius ibidem VI, 1 p. 563. — [3]) inter quos Rupertius p. 452. — [4]) teste Plinio ep. I, 5. IX, 13.

Sunt enim versus hi 'sed tuus Endymion dilectae fiet adulter matronae, mox cum dederit Servilia nummos fiet et illius, quam non amat' eqs. A Catonis Uticensis sororibus [1]) nomen ductum esse censet Weberus p. 522.

Sextus II, 21 cinaedus. Senatorem cur scholiasta intellegi voluerit vix eruas. cf. de Asturico dicta.

Silanus VIII, 27 verae nobilitatis exemplum, fortasse virtutibus insignis ille a Nerone occisus. cf. Tac. ann. XV, 52. XVI, 9.

Sostratus X, 178 mediocris poeta, Xerxidis laudator qui 'madidis alis' cantasse dicitur, ut recte intellexit Weberus p. 517 quia madefactis pennis volucres altius efferri nequeunt. Scholiasta Horatium (sat. I, 9, 11) citans perperam interpretatur 'quia omnes qui cum sollicitudine recitant necesse est ut tali eius sudent'. Nomen apud Tacitum (hist. II, 4) vel Plinium (n. h. XXXIV §. 1) invenias.

Telesinus VII, 25 pauper poeta, qui res bellicas cecinit (cf. v. 27). Iuvenalis ei suadet, ut poemata comburat. Alius haud dubie Telesini mentionem iniecit Martialis III, 40. VI, 50. XII, 25.

Tharsymachus VII, 204 rhetor. Prima syllaba 'Thrasymachi' vocis quam codices exhibent cum producta sit, necesse est sive sophistam Chalcedonium [2]) sive alium intellegas rhetorem Iuvenalis aetati propiorem [3]) nomen scribi 'Tharsymachi' [4]). Quod autem de suae aetatis rhetorum misera sorte poeta agit, equidem alium notari puto ac Socratis aequalem. Ex scholio 'rhetoris apud Athenas qui suspendio perit' nihil certi discimus, cum 'apud Athenas' e versu 205 haustum sit.

Titius IV, 13 cf. *Seius*.

Tongilius VII, 130 causidicus Pedoni similis. Nullum habeo argumentum quo eundem esse probem cuius gulam Martialis II, 40 carpserit.

Trebius V, 19 sqq. cliens aliquis.

---

[1]) de quibus cf. Suet. Caes. 50. Plut. Lucull. 38. — [2]) cf. C. Fr. Hermannum de Thrasymacho Chalcedonio Gottingae a. h. s. XLVIII. — [3]) ut placuit Meinertzio p. 5. — [4]) cf. Ritschelium opp. philol. II p. 541.

Trypherus XI, 137 obsonia sciudendi artem docuisse dicitur. Certus videtur eius artis magister fuisse, non fictum de vita luxuriosa nomen induci.

Tullia VI, 307 vide *Maura.*

Umbricius III, 21 sqq. quem poeta de miseriis honestorum ac pauperum hominum Romae viventium secum facit colloquentem. Qui haruspicem quem Plinius n. h. X §. 19 aetatis suae peritissimum appellavit illum esse Umbricium contendebant, non perspexerunt hanc sententiam eis quae inde a versu 41 leguntur non solum valde infirmari, sed plane refelli.

Urbicus VI, 71 histrio atellanicus. Cum tot deinceps artifices nominatim enumerentur, etiam 'Urbicus' pro nomine proprio habendum est. Neque improbabiliter ab hoc nomen sibi suum sumpsisse Urbicum mimum in titulo Orelliano 2625 memoratum Friedlaenderus [1]) coniecit.

Vagellius XIII, 119. Vagelli statua ironice comparatur cum imaginibus deorum, quos iam paene nullos esse Calvinus dixerat. Unde patet Vagellium non dignum fuisse, cui statua poneretur. Idque bene cadit in eum Vagellium, qui XVI, 23 declamator mulino corde fuisse traditur. Teste scholiasta rhetor fuit Mutinensis, ut versus ipsi indicant, ignavus. Cum hoc declamatore non confundendus est Vagellius a Seneca natur. quaest. VI, 2, 8 laudatus qui etiam libri 'actio' inscripti a nonnullis auctor putatur [2]).

Varillus II, 32 cinaedus Sexto similis.

Vedia II, 49 scortum. Ita enim recte Hermannus [3]) scripsit litterarum similitudinem secutus pro 'Media' quale nomen incognitum est, libri deteriores substituerant 'Tedia' nomen sane latinum (cf. C. I. L. I. n. 1090).

Ventidius XI, 22 homo dives ac pro censu luxuriosus, cui nihil videtur commune esse cum Ventidio Basso in priore huius dissertationis parte commemorato.

Vettius VII, 150 rhetoris exemplum. Rupertius quod p. 457 Valentem Vettium Messalinae intellexit adulterum, id

---

[1]) in descr. morum II p. 462 sqq. — [2]) cf. Ritschelii comm. in Suetonianam vitam Terentii p. 530. — [3]) in indice lect. acad. Georg. Aug. a. h. s. LIV p. 6 sqq.

cum Webero p. 450 reicio. Hic enim medicus 'eloquentiae adsectator'[1]) quantum distet ab artis rhetoricae magistro neminem fugiet.

Virro V, 39. IX, 35 patronus. Nomen idem coniectura restitutum est Catullo 71, 1.

Volusius Bithynicas ad quem satira XV missa est de Aegyptiorum religionibus. Perquam incerta est Weberi coniectura eundem Bithynicum a Martiale VI, 50 adpellari. De cognomine a provincia tracto — agnomen hoc etiam Pompeius Magnus acceperat (cf. Cic. Brut. 68 §. 240) — cf. *Asturicus*.

Zalaces II, 164 iuvenis Armenius. Obses nescimus quando [2]) Romae a tribuno quodam corruptus narratur.

Tantum de hominibus ignotis. In qua nominum serie vides permulta quorum significatio latius pateat ad universum quoddam hominum genus. De reliquis autem nihil magis constat quam de vita illorum omnium non posse decidi. Quid quod ne eos quidem ad quos satirae missae sunt quosque Iuvenalis adloquitur, vixisse reapse omnes exploratum est ac non ficta esse pleraque nomina quasi declamatoris de ludo?

Caput IV. Homines vivi.

Fabulla II, 68 moecha. Satira II quae scripta est omnium prima, ut prodierit eo quo satira I tempore i. e. anno 100, non potest credi evulgata post Martialis librum XII qui incidit in a. 101 [3]), cuius epigramma 93 [4]) Fabullam tanquam vivam inducit. Quae noli dubitare quin manifesta adultera confessaque et fuerit et habita sit ab omnibus.

Archigenes VI, 236. XIII, 98. XIV, 252. Scholiastae qui adscripsit 'medicum magnum illius temporis' nihil de eo

---

[1]) cf. Plin. n. h. XXIX §. 8. — [2]) cf. Heinrichium p. 122. Weberum p. 299. — [3]) cf. de Cosmo dicta p. 36. — [4]) tangitur eadem si tamen eadem ubique intellegenda est Fabulla a Martiale IV, 9. 81. VIII, 79.

aliunde innotuisse credo. Plus docet Suidas *Ἀρχιγένης Φιλίππου Ἀπαμεὺς Συρίας ἰατρὸς μαθητὴς Ἀγαθίνου ἐπὶ Τραϊανοῦ ἰατρεύσας ἐν Ῥώμῃ βιοὺς ἔτη ξγ' καὶ συγγράψας πολλὰ ἰατρικά τε καὶ φυσικά.* Unde quidem quod ad tempus Archigenes vixerit concludi nequit [1]) neque quicquam quantum equidem scio de eius obitu apud recentiores medicos scriptum est. At post satiram VI publicatam circiter a. 103 in saeculum aerae nostrae secundum satis longe eum produxisse vitam propterea statuo, quia teste Galeno [2]) contra Magnum Ephesium [3]) disputaverat, Magnus autem post annum quo Galenus Romam migravit 164 [4]) ad archiatri locum pervenit [5]). Itaque Archigenem putabimus minimum annum 120 egressum esse, ut quo tempore Magnus maturitatem aetatis et artis incohaverit nec mirum quod Galenus recentioribus medicis eum adnumeravit [6]). Iuvenalis vero nomen eius non insectatus ut celebris medici proponit exemplum.

Philippus XIII, 125. Interpretum nulli quis ille esset quaerendum visum est, ego vero Archigenis successorem intellegere haud dubito, quia Galenus [7]) neque Archigenis neque Philippi discipulos in cognoscendis venis quicquam profecisse ait. Quod si recte conieci, Archigenis successorem certe inter vivos recenseri oportet. Anno autem 127 hoc carmen scriptum esse supra memoravi. Poeta non quidem Philippum ipsum sed sectam tamen eius obliquo oculo limat, cum discipulum Philippi medicis maioribus opponat.

Ex tot igitur quos Iuvenalis in satiris nominatim induxit hominibus, tres non amplius exploravimus qui cum poeta scriberet certe fuerint in vita. Neque ex tribus his maledicitur nisi uni Fabullae, in qua iam significabo hanc ipsam ob caussam posse dubitari, num una et certa quae tunc

---

[1]) nam de Agathini aetate item nihil certi traditum est. — [2]) IX p. 8 ed. K. — [3]) de quo cf. Sprengelium l. l. p. 125 et Heckerum hist. medic. Berolin. 1822 I p. 463. — [4]) cf. Heckerum p. 474. — [5]) teste ipso Galeno XIV p. 261. — [6]) XI p. 163. — [7]) VII p. 530.

ipsum vixerit an proximae aetatis mulier denotetur mox ita diffamata, ut Iuvenali et in libro XII Martiali exemplum esset moecharum. Certe tantum hac disquisitione effecisse nobis videmur, ut et quantum in hoc genere rhetoricae Iuvenalis satirae non a Lucilio solum sed ab Horatio differant et quam constanter poeta propositum in extrema satira I consilium servaverit, aliquanto clarius perspiciatur.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 091 172 6

FRANCISCUS STRAUCH

DE VITA SUA.

Natus sum Lindewisiae, in Silesiae Austriacae pago, pridie Nonas Martias a. h. s. XLIV patre Mauritio, matre Emilia e gente Trampusch, cuius praematuram mortem eo quo decet lugeo dolore. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum rudimentis imbutus inde ab anno aetatis undecimo postquam Glatziae gymnasium per quatuor annos frequentavi missus sum Nissiam, ubi rectore Zastra viro singulari docendi dexteritate insigni maturitatem assequerer. Cuius maturitatis testimonio quinque annis post accepto adii primum universitatem Viadrinam Vratislaviensem studiis operam navaturus philologicis atque per VII semestria audivi philologos: Bernays Haase Hertz Rossbach, Braniss Elvenich philosophos, Iunkmann historicum neque proseminarii philologici, quod M. Hertzio praeceptore summopere de me merito tunc florebat, expers fui exercitationum; deinde petivi litterarum sedem Gryphiswaldensem. Ubi unum quidem versatus sum annum, sed illustrissimorum duumvirorum Buecheleri et Schoemanni benignitate ordinarius factus seminarii regii philologici sodalis ex optima eorum institutione magnam cepi utilitatem. Quibus viris omnibus quem debeo gratum animum lubenter hoc loco profiteor, prae ceteris autem Buechelero et Preunero, ad quos facilis erat aditus, piam servabo semper memoriam.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 091 172 6